SYNTAGMA
DE
DRUIDUM
Moribus ac Institutis

IN QUO

Miscellanea quædam Sacro-profana inseruntur.



LONDINI,
Excudebat *Thomas Roycroft* sumptibus ac impensis *Thomæ Dicas* ad Insigne *Gallinæ cum Pullis* in Cœmiterio Paulino. 166[illegible]

SYNTAGMA
DE
DRUIDUM
Moribus ac Institutis


IN QUO

Miscellanea quædam Sacro-profana inseruntur.



LONDINI,

Excudebat Thomas Roycroft, [illegible]
impensis Thomæ Dicer, ad insigne [illegible]
[illegible]



Reverendo, Clarissimo, & Eruditissimo Viro,

D. THOMÆ PEIRCE

Sacræ Theologiæ Professori, collegii *Magdalenensis* apud *Oxonienses* Præsidi dignissimo, & Regiæ Majestati à sacris in ordine ἐυτυχέςατα διάγειν.



Oc, quantulacunque est, opella, (Vir Præstantissime,) quæ nihil Nomine tuo dignum præ se fert, Tanto Judici stitisse totus meritò exhorruerim, nisi egregia Tua humanitas, quâ tanquam au-

râ diviniori, tennes nostros conatus extremum penè exhalantes quasi de integro refocillâsti, novum fiduciæ argumentum labanti animo addidißet, ipsumque Numen gratitudinis, (cui litare non modo fas, sed & æquum est) impetu quodam ineluctabili me ad hoc facinus protrusißet. Quicquid enim aut possum, aut olim poße mihi contigerit, Cui potius quam Tibi vovere debeam, cujus inemptæ benignitati, (quâ tot in me beneficia quàm humanissimè congessisti) vitam prosperam lætamque acceptam fero, & quale quale studiorum humi repentium incrementum? Tanto literarum Coryphæo

—— (meritò cui doctior orbis
Submissis defert fascibus imperium,)

aliquo modo innotuiße, inter fæliciora hujus vitæ privilegia numerandum arbitror, Vestri verò Patrocinii beneficio frui, institutione Vestrâ, & monitis non indignum prorsus haberi, hoc sanè est, quod mihi amplam gloriandi materiam præbet, & ne parùm

gratus

gratus videar, me parùm utique verecundum videri cogit. Tui autem præclari Nominis Auctoramento communitus, in manus hominum Literatorum ſeſe ingerere non verebitur qualiſcunque hic Libellulus; qui non tam noſtri conatûs in hujuſmodi ſtudiis promovendis, quam ingenui animi gratique exſtabit poſteris monumentum. Dudum eſt, ex quo orbis noſter Britannicus *aſpexit primùm, & deinde miratus eſt, tum pulcherrimas illas animi dotes, quibus in intima reconditiſſima eruditionis Adyta fæliciſſimè penetrâſti, tum ardorem illum tuum* heroicum *propè dixeram* divinum, *quo Sacroſancta afflictiſſimæ Eccleſiæ* Anglicanæ *Jura contra nefarias latè graſſantium* Parricidarum *molitiones, contra novaturientis & ferrei ſeculi mores quàm maximè pudendos, contra denique quorundam* Schiſmaticorum *rabiem & veſaniam, qui Eccleſiæ regimen ritusque omni laude digniſſimos turpi zelo atque indocto peßum dare ſategerunt, potenti calamo & feliciſſimo auſus es propugnare. Quapropter tanta tamque inſignis meritorum*

copia,

copia, nullam verborum sive luxuriam, sive hyperbolen admissura, nostro præconio (heu nimis tenui!) usque adeò non indiget, ut id innumeris Parasangis post se relinquat. Ipse tamen interea temporis de invidorum censuris triumphos agam, & satis mihi in mercedem cessurum arbitror, si hanc qualemcunque futuræ observantiæ arrham placido vultu accipere tantisper dignatus fueris, dum Camœnis Orientalibus ad unam omnibus invocatis, dispersisque hinc inde viribus in unum impetum collectis & compagmentatis, grandius quippiam, digniusque in gratitudinis μνημόσυνον effectum dederit.

Dignitatis, & Virtutis Tuarum

Cultor observantissimus

T. S.

Syntagma de DRUIDUM Moribus ac Institutis

CAP. I.

Antiquitatis Britannicæ studium laudabile. Cambdeni laus. Annius Viterbiensis notatus. Druides à Rege Druide non dicti. Goropii Becani & Scriecki Etymon è Teutonismo explosum. Trutin seu Dryhten Saxonibus Dominus. Druides non ita appellati ἀπὸ τῆς δρυὸς: sed à Celticâ voce Deru, quæ etiam quercum denotat. Iidem συνονύμως dicti Σαρωνίδες. Σαρωνὶς. Ἄσκεγ Quercus magno honore cultuque affecta. De origine querni cultus Druidum. Jovi quercus sacra. Cibus quercens antiquissimus. Arcades Βαλανηφάγοι. Ἄλις δρυός.

DUM apud *Romana* historiæ Scriptores, qui istius bellicosæ ac victricis gentis in ultimis hisce *Britanniarum* oris gesta fideli ac curiosâ narratione posteri-

 tati

tati tradiderunt , nullibi non occurrit frequens *Druidum* mentio , non tantum antiquitatis ſtudium pari veritatis amore junctum , quod omnium gentium, quaqua mundus patet, mores æque reſpicit , ſed intimior affectus , quo in *Patriam* ferri debemus, ac animi debita & pene naturalis inclinatio, qua in *Antecesſorum*, qui hæc loca primo incolebant, mores & facta inquirere cupimus, ad ſedulam, & quantum patitur rei obſoletæ, & in priſtinum uſum redigendæ difficultas, ſtrictiorem horumce naturæ *myſtarum* qui & quales fuerint , indaginem ac inveſtigationem ſerio ac admodum potenti ratione obligat. Turpe enim erit ac penitus arguendum , ſi dum aquilinâ quaſi acie in exterarum gentium origines intueri geſtiamus, domi interim manentes talpæ, ſecurè negligimus quicquid hic olim geſtum fuerit. Quam propriæ antiquitatis indagandæ curam, ne quis moroſulus infra ſtudiorum pompam longe ſubſidere criminetur , vel ſalebris haud facilè ſuperandis obſtructam timidiuſcule pertendat , præter immortalem nominis famam , & utilitatem poſteris redundaturam, habemus illuſtres *herons* exemplo ſuo

ſuo præeuntes, quos inter ſupremum occupat locum præſtantiſſimus *Cambdenus*, qui non *Britanniam* ſolam, ſed totam *Europam*, imo & futura ſecula ſibi perpetuo gratitudinis nexu in æternum devinxit, & plus de *Patriâ* ſtupendo illo opere, quo eam optimè deſcripſit, meritus eſt, quam ſi nova regna ipſius ditioni addidiſſet. Hujus aliorumque veſtigia relegens, operæ pretium duxi, *Druidum* originem, ſtudia, mores, & inſtituta ex veræ antiquitatis adytis vobis facili methodo exhibere hoc brevi ſpecimine, in quo quæ lacera ac variis Scriptoribus diſperſa, & miſerè confuſa jacent, hic in ordinem compendioſè redigere conabor.

Ut autem ſtrictius & accuratius in hoc ſcrutinio procedatur, ordiendum eſt ab ipſo nomine quo appellati ſunt unde ſcilicet oriatur. Res enim ipſas ab Etymis vocum multam lucem fœnerari meritò contendunt *Grammaticorum* filii. Nos in iſtiuſmodi dubiis, ubi ſola conjectura locum habet, rejectis cæteris, probabiliorem etymologiam quæ veritati rei, ac hiſtoriæ proxime affinis eſt, retinebimus, non ta-

men eâ confidentiâ, quâ quicquam præscribatur alienis judiciis, sed relictâ cuilibet suo sensu fruendi libertate..

Joannes Annius à Viterbo monachus è familiâ *Dominici*, qui scripta ὑποβολιμαῖα splendidissimis *Berosi*, *Megasthenis* aliorumque *Anthorum* summæ antiquitatis nominibus turpiter ac impiè insignire ausus est, fingit & mentitur quendam *Druidem* proprio nomine sic dictum, *Samothis* successorem hic olim regnasse, à quo *Druides* nomen suum acceperunt. Sed adeo monstrosa sunt, quæ in istis *Pseudoepigraphis* de harum insularum originibus passim scatent, ut nemo est tam obesæ naris, cui non subolent istæ fraudes, quibus posteros pervertere studebat impius iste falsarius otio suo ac literis pessime abusus.

Exploso igitur hoc *Pseudo-Berosi* commento non minus displicet jocularis ista *Joannis Goropii Becani* conjectura, qui è linguâ *Teutonicâ* derivare operosè satagens quicquid nominum præsertim propriorum in linguis *Europais* reperiundum sit, incertæ vel potius certæ originis, perinde erit huic κακοπλάστῃ, *Druidas* ad ravim crepat appellatos à *Germanico*

trne

true wise, *i. e.* vere ſapiens, duo diſtincta vocabula in unum confundendo. Quem hic, ut in omnibus aliis, ſequitur *Adrianus Scrieckus Rodornius* tam in *Originibus Celticis* ac *Belgicis*, quam in *monitorum ſecundorum libris*, ſed hanc conjecturam omnino reſpuit ipſa vocabuli pronuntiatio, eamque abunde ſatis arguit falſitatis, ni literas addere & demere pro lubitu pueriliter licuerit.

Alii autem quos ejuſdem vanitatis ac ridiculorum *becceſeleniſmorum* amor tenet à *Trutin* deducunt, quod antiquis Germanis Deus eſt, ut ex *Othredi Evangelio* citat vir doctiſſimus (*a*) *Paulus Merula*, cum tamen iſtud vocabulum *Saxonicè*, ut patet ex *Pſalterio* aliiſque libris iſtâ linguâ apud nos editis, (*b*) *Dominum* denotat. Sed ſi hujuſmodi conjecturis licitè indulgendum ſit, omnino actum erit de *Etymologiâ* quæ nihil aliud erit, quam puerilis ac miſera vocabulorum ad libitum fingentium diſtortio. Etſi addendum ſit, quod ſatis eſt ad infringendum hanc *Becani*, cæterorumque ejuſdem furfuris authorita-

(*a*) *Coſmogr.* pag. 2. lib. 3. c. 11.

(*b*) ðριhτ & ðρyhτen *vox ſoli* Domino *cælorum & terræ peculiaris, ut dudum obſervavit* Verſteganus.

 tem,

tem, *Cæsarem* clare asseruisse, *Germanos* apud se non admisisse *Druidas*, ideoque frustra ibi nominis origo quæratur necesse est, ubi nomen æque ignotum erat, ac persona.

Alii ergo, quanto honore quercus ab iisdem olim habita erat, in sacris præsertim peragendis, animo repetentes, à *Græcâ* appellatione istius arboris, *scil.* τῆ δρυὸς nomen derivant non sine aliqua veri specie. Inter quos primas merito tenet (c) *Plinius* quem omnes fere hactenus secuti sunt cujus verba ascribere non gravabor. *Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde adpellati quoque interpretatione* Græca *possint Druidæ videri.* At quo minus huic conjecturæ plenarium assensum demus, sanior ratio obstat, quæ non concedit tales *etymologias* à peregrinâ linguâ deductas, in usu unquam fuisse apud *barbaras* gentes, quas tanta terrarum intercapedo ac distantia à *Græciâ* disterminavit. Etsi enim, ut postea ostendam, concedendum sit, *Græcas* literas, superatis *Alpibus*, fælici temporis progressu hasce oras tandem penetrasse, tamen longe ante earundem appulsum ac usum

(c) *Nat. hist.* lib. 16. cap. 44.

usum illos ita appellatos quis dubitavit? Patriâ scil. linguâ, quæ materna audit, ac ab omnibus *Europæ* linguis multum discrepat, non obstante paucularum vocum similitudine, quæ mero casui attribuenda est, sine ullâ verâ harmoniæ aut mutuæ dependentiæ ratione. Non ergo aliunde *Etymon* arcessendum est, quam ex istâ linguâ, quâ familiari sermone usi sunt illi, qui nomen illud primo imposuere. Quod fere advertebat *Plinius* loco quem supra laudavi, dum fatetur *Gallos ita suos Magos appellasse*; *Gallos* vero veteres & *Britannos* propaginem *Celtarum* eadem linguâ, iisdemque sacrorum ritibus usos fuisse, utrosque etiam habuisse *Druidas* satis clarè testati sunt *Julius Cæsar* & *Tacitus* & invictis argumentis probavit doctissimus (d) *Cambdenus*. A *Celticâ* ideo voce *Derw*, quæ etiam quercum denotat *Druidas* nomen suum mutuari, nemo in hac literarum luce sine præfractâ mentis pertinaciâ denegabit. Quæ vox literâ ultimâ duplicatâ apud *Cambro-Britannos* hodie retinetur *Derw*, ut ex præclaro isto *Davisii* opere abunde constat, qui *Druidas* à popularibus suis *Derwyddon* non dissimili pronuntiatione olim dictos

(d) *Britan.* p. 9. 11. 12. &c.

dictos observavit. Cujus conjecturæ veritatem locus iste inter montes *Denbigensis* comitatus vulgo dictus (*e*) *Cerigy Drudion* i. e. *lapides Druidarum* extra omnem dubitationis aleam ponit. Quod *Cæsar Latinis* auribus, suavioris pronuntiationis gratia, prius accommodasse videtur, ex *Drudion Druides* faciendo.

(*e*) *Cambd. Britan.* p. 546.

Rationem nominis hinc vere petitam esse, ex altero *synonymo* quo à veteribus appellantur, melius constabit (*f*) *Diodorus* enim *Siculus Gallorum Sacerdotes* Σαρωνίδας nuncupatos testatur. Σαρὼν autem seu σαρωνὶς veteribus *Græcis* est quercus. Sic (*g*) *Plinius* dudum observavit. *Sinus Saronicus olim querno nemore redimitus, unde nomen, ita Græciâ antiqua appellante quercum. Callimachus* in *hymno* ad *Jovem*.

(*f*) Φιλόσοφοί τέ τινες εἰσὶ καὶ θεολόγοι περιττῶς τιμώμενοι οὓς Σαρωνίδας ὀνομάζουσι. *Diod. li.* 5. *p.* 213.

(*g*) *Hist. Nat.* lib. 4. c. 5.

Ἦ πολλὰς ἐφύπερθε σαρωνίδας ὑγρὸς
ἰάων
Ἤειρεν.

Ubi annotat *Scholiastes* σαρωνὶς δρῦς πα-

ρὰ

παρὰ τὸ στεσηρότα καὶ συνεστραμμένον τὸν φλοιὸν ἔχειν. Sic *Etymologici magni* auctor σαρωνίδες αἱ κοῖλαι δρύες, cui concinit *Lexicographorum* longe erudititissimus *Hesychius* σαρωνίδες. πέτραι ἢ διὰ παλαιότητα κεχηνυῖαι δρύες. Significationem quam huic vocabulo attribuunt lubens amplector, sed vix à memet impetrare possim ut *Etymo* ἀπὸ τοῦ σαίρειν seu dehiscendo subscribam, cum longe accommodatius erit, si dicamus illud ab *Ebraico* אשרה profluxisse, utpote cui favent tam facilis *Etymologiæ* ratio, quam significationis convenientia. א enim est debilissimæ pronuntiationis, ac in vocibus ab unâ linguâ in aliam transferendis addi vel tolli solet, ut in sexcentis istiusmodi crebro fit. Quod vero ad sensum spectat etsi *Kimchio* exponente in libro *Radicum* כל עץ שעובדים אותו או נוטעים לכבוד מי שעובדים אותו יקרא אשרה *omnis arbor quæ colitur, & quæ plantatur in honorem illius numinis, quod colunt idololatræ, dicitur* אשרה, tamen recte ad quercum restringi possit, quâ in alieno illo cultu (בעבודה זרה) tantopere abusi sunt. Quod optime advertebat

tebat *Hesychius* qui interpretatur Ἀσκρα (quod plane idem est cum nostro אשרה (ש enim valet inter pronuntiandum hodie etiam apud *Germanos* sch) δρῦς ἄκαρπος quod cum superioribus non malè convenit.

Nec vero cuipiam mirum illos à quercu denominari videbitur, si quanto affectu, quantoque cultu erga istam arborem superstitiose ferebantur, animo perpenderit. Quod consentiente omnium auctorum, qui de iis scripserunt, suffragio facillime evinci possit, ni hoc esset in re adeo manifestâ otio meo ac patientiâ vestrâ turpiter abuti, ideo paucula hæc cæteris ex industriâ omissis fidem satis liberabunt. (h) *Plinius. Nihil habent Druidæ visco & arbore in qua gignatur (si modo sit robur) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt.* Deinde, *enimvero quicquid adnascatur illis, è cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventum & repertum magnâ religione petitur.* (i) *Lucanus* in elegantissima *Apostrophe* ad *Druidas.*

Nemora alta remotis

Incolitis

(h) *Nat. hist.* l. 16. c. 44.

(i) De bello Phar. l. 1.

Incolitis lucis, non *locis*, ut in quibusdam editionibus corruptissime excuditur. *Pomponius Mela* lib. 3. *De situ orbis*, c. 2. *de extimâ Galliarum orâ, Docent multa nobilissimos gentis clam, & diu vicenis annis in specu aut in abditis saltibus.* Deinde ne plura congeram testimonia, *Maximus Tyrius dissertatione* XXXVIII asserit *Gallos Jovem* colere, cujus signum & statua erat altissima *quercus*.

Si vero hic quispiam paulo curiosior quærat, quâ de causâ cæteris arboribus sylvæ neglectis, quercum tanto honore amplexi sunt *Druidæ*, ei fortean abunde satisfactum erit, si meminerit *Jovi*, quem illi colebant, quercum sacram olim habitam fuisse, cuilibet enim Deo propriam arborem consecravit cæca ac superstitiosa *Antiquitas*.

(k) *Populus* Alcidæ *gratissima*, *vitis Iaccho*,
Formosæ myrtus Veneri, *sua laurea* Phœbo.

(k) *Virgil.* Eclog. 7.

In honorem ergo *Jovis* consonum videatur, *Druidas* istorum temporum, quibus idololatria hisce extremis mundi plagis invaluerat,

invaluerat, Sacerdotes, ipsius arborem affectasse, ac coluisse. Ut jam nil dicam de cibo querceo ;qui (*l*) antiquissimus habebatur juxta (*m*) *Agellium*, dum inde *Arcades* qui stirpis suæ originem ultra Lunam inepte deduxerunt, dicti erant juxta *Pythiæ* oraculum Βαλανηφάγοι, quod dudum in *Proverbium* abiit, Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι. Sedne vos mihi illud (*) ἅλις δρυὸς accinatis, hic sistam, propriorem hujusce querni cultus rationem, sine ulteriori morâ, sequente *Capite* investigaturus.

(*l*) Eustathius in T. Odyss. *p.* 1859 *derivat* φηγὸν *quam facit eandem cum* τῇ δρυῒ ἀπὸ τοῦ φάγω ἐπει παρέσχε τοῖς ἀνθρώποις αὐτῇ τοῦ φαγεῖν. (*m*) Noct. Attic. *lib.* 5. *cap.* 6.

(*) V. *Porphyr. De abstinen.* lib. 2. sect. 5. pag. 54. & lib. 4. sect. 2. pag. 143. ex *Dicaarcho Peripatetic.*

CAPUT

CAP. II.

Druidum. querna religio ab Abrahami *exemplo deducta. Quercetum Mamre.* אילון *quercus non pinus neque alnus.* אלה *terebinthus.* אילן *arbor, ut* δρῦς *apud Græcos.* אשל *nomen generale arborum. Quercuum annositas. Quercus quæ Abrahami ædes obumbrabat, ad Constantini magni tempora floruit. Locus ille, ubi stetit, annuis conventibus celeberrimus. De mirabili Jacobi Terebintho similis narratio. Idola olim culta sub frondosis arboribus. Arbores plantatæ juxta delubra. Judæi Apostatæ lucis idola colebant. Jupiter* ἔνδενδρος *Diana Nemorensis & Arduenna. Druides discipuli Pythagoræ. Pythagoras suam Philosophiam è Judæorum Cabbalâ exhausit. A Zabrato, quem male aiunt esse Prophetam Ezechielem, multa didicit. Pythagoras lucos frequentabat.*

NEmini ignotum esse queat, qui unquam in secretiora *Græcæ* Superstitionis

tionis seu Ethnicismi mysteria curiosulâ mentis acie penetravit, ea omnia astu diaboli, qui divinum cultum audet sibi arrogare, subdole introducta, a consuetudinibus *Judaici* populi paulo immutatis primitus effluxisse. Hinc sacrarum historiarum mutatis tantum nominibus occultæ obumbrationes, quibus veritas solet offuscari, quod consulto factum fuit, ne aperto plagii ac corruptionis crimine manifestè teneretur. Ne longius abeam, ecce firmissimam fidem faciet mos ille *Druidum*, sub quercu sacra sua peragentium, in nemoribus, procul à tumultu, ab exemplo magni illius *Patriarchæ Abrahami* deductus, quem sedem (*a*) suam באלוני ממרי *in querceto Mamre* fixisse illicque altari extructo Sacerdotis officio fungentem *Deo Opt. Max.* sacrificia obtulisse testantur sacræ literæ, ubi (*b*) Angeli hospitio excepti erant, & *Shekina*, seu divina præsentia, quæ locum istum fecit sacratiorem, se dimittens, illum familiari colloquio dignata est.

(*a*) *Gen.* xiii. 18.

(*b*) *Gen.* xviii. 1.

Locus ille celebris nomen habens à *Mamre Amorrhæo*, qui *Abrahamo* suppetias opportunè tulit (*c*) quindecim stadiis distat ab *Hebrone* ad Occidentem, ab

(*c*) Sozom. *Hist. Eccles.* ect. 2. c. 4. li. 2.

ab *Hierosolymis* 2050, planities nempe arboribus, præsertim quercubus, consita; unde laxiori explicatione usi in suis versionibus interpretantur *Onkelos* במישרי די ממרי *in planitie Mamre*, *Jonathan Uzielides* eodem sensu בחיורי quos sequuntur versionis *Chaldaico-Samaritanæ* auctor, & *Vulgatus Interpres*, cum tamen juxta literam reddendum sit inter quercus seu in querceto: Linguâ enim sanctâ אלון seu אילון seu אַלּון denotat quercum quod paucis probandum est contra eos qui vel per pinum vel per alnum male interpretantur. *Kimchius* in *Hos.* iv.14. אלון הוא אילן שנושא הפרי שקורין לו בלעז גלאנץ וענפי מרובים לפיכך בוחרין בו לעבוד ע״ז תחתיו כמא שאמ׳ כי טוב צלה אַלּון *Est arbor quæ fructum fert, cui nomen est glans, rami ejus sunt patuli, ideo eam eligunt idololatræ, ut sub ea colant idola, juxta illud quod scriptum est, umbra ejus est bona. R. Solomon Jarchi.* אַלּון קייאניא בלעז שגדל בו פרי שקורין גלאנץ

בלען גלאנץ Allon ** Quenia* vernaculè, arbor quâ crescit fructus, nempe glandes. Quod etiam ulterius probandum est ex linguis *Chaldaicâ* & *Arabicâ*, in quibus redditur per بلوط Hinc بلوط. בלט seu الارض. quercus humi repens, *i. e.* χαμαίδρυς passim apud *Ibn Sina*, quem vulgus scriptorum male appellat *Avicennam*. Sic identidem בלט exponitur in *Rosh Hashana*, fol. 23. ut *R. Nathan* in suo *Aruch* explicavit, & ערמון *Medicis Arabicis* est بلوط سيد. h. est מלך האלונים

Ut ergo אלה, אילה, seu אֵלָה communiter à LXX redditur τερέβινθος, & perpaucis locis δρῦς, Targumice בוטמא & raro aut nunquam בלוט, quod asserit *Kimchius*, sic אלון, prout stricta vocis proprietas omnino postulat, per quercum semper debet reddi. Quanquam non dissimulandum est, *Chaldaicum* & *Rabbinicum* אילן ab hoc nostro immediatè deductum, pro omni arbore in genere usurpari, (eodem modo quo δρῦς apud *Græcos* Scriptores etiam occurrit, ut observarunt *Eustathius*, *Hesychius*, *Suidas*, ac tota turba

turba *Grammaticorum*) cum antea nomen generale omnium arborum erat אשל sic *Kimchius* שם כולל לכל עץ qui *Rabbinicum* illud דתליא באשלי רברבי exponit per אילנות גדולים *Betza* fol. 66. cap. 2. *Avoda Zara* fol. 7. cap. 1. cum fortasse funium notio, quam *Talmudici* in *Baal Aruch* illi passim attribuunt, meliùs quadraret. Quod tamen commune nomen apud *Arabes* restringi ad myricam vel Tamaricis speciem rectè observavit *R. Jonah* apud *Kimch.* libro radicum ר׳ יונה אמר אפשר שיהיה שם האילן שקורין בערבי אתל והוא דומה לאילן שקורין בלעז טמריז *Forte hoc nomen est arboris quæ Arabice appellatur* أثل *Tamarici similis.* Sed de hac arbore consulendus est *Prosper Alpinus* libro de *plantis Ægypti* cap. 9.

Hisce ergo præmissis, dicimus *Arabem* rectè vertisse في بلوط *in quercubus*, etsi aliud agens alibi

laxè ac ineptè satis, transtulit في ارض ممري *in terra Mamre Gen.* xiii. 18. *Syrus* ܒܒܝܬ ܒܠܘܛܐ usitato *Syriacismo domo quercûs* pro *querceto.* LXX *seniores* παρὰ τὴν δρῦν τὴν Μαμβρῆ. Sic cap. xviii. 1. πρὸς τῇ δρυῒ, per Enallagen numeri, non præter insolitum. Omninò enim piget dicere hosce eruditissimos viros ad famosam istam quercum cæteris eminentiorem, quæ brachia sua super *Abrahami* ædes extendebat, allusisse; utpote quæ ad illorum tempora & longe post veteri pompa duravit. Satis nota est indignabunda ista Philosophi fletu acerbo mixta vox, qua naturam hominum vitam paucorum annorum spatio metiri questus est, quercubus vero æternitatem pene indulsisse, ni rudem securis ictum experiantur. Quod satis est, ne illud quod de hac annosa quercu dicturi sumus, pro re fidei experte & ultra naturæ vires habeatur.

S. *Hieronymus* in libello de *locis Ebraicis* testatur, hanc ipsam quercum ad *Constantini Magni* tempora floruisse, qui juxta (*d*) *Sozomenum* conventus tam

(*d*) *Hist. Eccles.* lib. 2. cap. 4. ex edit. Græca. *R. Steph. Par.* ~~1. 544.~~ 1544. p. 22. b.

tam religionis quam negotiationis causa illic annuatim tempore æstivo habitos, edicto tollebat, cum (*e*) antea festum illud ad hoc venerandæ antiquitatis monumentum tam *Christiani* quam *Judæi* & *Arabes*, diverso tamen fine celebrarent. Neminem hac in re fidei suæ nimis prodigum haberem; nec cuiquam huic naturæ miraculo sine prævio examine assentiri persuaderem: Ipse de hujusce incertæ traditionis fide non laborabo, sed simili historiola eam vel tuebor vel destruam (utrum horum magis convenit, penes lectores esto judicium) de mirabili (*f*) *Terebintho*, sub qua *Jacobus* patrios *Sichemorum* Deos sepelivit, quam ad sua tempora perdurasse & εἰς τιμὴν τῶν Πατριαρχῶν ὑπὸ τῶν πλησιοχώρων τιμᾶσθαι scribit (*g*) *Africanus* qui sub *Antonino Heliogabalo* Imperatore Chronica, quorum maximam partem in propria opera ejusdem argumenti transtulerunt *Eusebius* & *Georgius Syncellus*, scribebat. Utpote ad cujus stipitem extructum erat altare ἐφ' ὃ τὰς ἐκτενεῖς ἀ-

(*e*) *Hunc locum conventibus celeberrimum esse testatur* Epiphanius. *hær.* 18. *quæ est* Nazaræorum *sect.* 2. *p.* 39. *ex* editione Petav.

(*f*) *Gen.* 35. 4.

(*g*) Apud *Euseb.* p. 22. & *G. Sync.* p. 107.

νέφερον ἐν ταῖς πανηγύρεσι τῆς χώρας ἔνοικοι, *ad quod in celebrioribus conventibus devotè accedebant istius religionis incolæ.* *Hegesippus* vetustissimus scriptor, (si modo ille genuinus sit, qui hoc nomine circumfertur) libro IV. *de excidio Hierosolymitano cap.* 23. hoc naturæ, quod prius dixi, miraculum adauget, dum ex fide aliorum, *hanc magnam arborem à constitutione mundi* (ita enim habet vetus *Latina D. Ambrosii* versio, *Græcè* enim non extat) *fuisse* refert. Apud *Africanum* sunt qui conjectantur eam ῥάβδον εἶναι τινὸς τῶν ἐπιξενωθέντων ἀγγέλων τῷ Ἀβραὰμ φυτευθεῖσαν αὐτόθι, *enatam esse è baculo quem Angelus Abrahami hospes ibi plantaverat.* Quod tamen est incertissimum. Sequitur apud *Hegesippum*, *num tamen utrùm adhuc maneat, incertum nobis est.* Quod non destruit fidem istius traditionis quam supra ex *Africano* retulimus: non enim simpliciter negat, ut vult *Scaliger*, sed tantum dubitat, utpote alieno solo positus, operosæ disquisitionis tædium fugiens, incertum sibi saltem statuit, scrutinio ac diligentiæ scriptorum illius, seu posterioris ævi, illud relicturus. Et sane nos docuit πολυμαθέστα-

τος

τῳ *Scaliger, Animadversionibus in Græca Eusebii* pag. 414. *Peregrinos Hierosolymitanos qui ista loca religionis causa visitant, referre, unam Terebinthum adhuc superesse duobus M. P. ab Hierosolymis, unde locus ille etiamnum vocatur Vallis Terebinthi,* eamque *esse hanc de qua nunc loquimur,* ut testimonia *Brochardi Adrichomii* aliorumque, qui in quemlibet fere angulum istius terræ diligenter inquisivêre, in præsenti non sollicitem. Fortasse tamen quisquis situm hujus loci juxta hosce modulos cum sacris literis accurate ac subtiliter contulerit, viatorum fidem hic laborare, qui nimium creduli esse solent, facilè judicabit.

Illud vero quod habet idem *Africanus* de eadem arbore, ab omni veritatis specie maximè alienum videbitur, nempe quod ἐ κατεκαίετο δοκοῦσα πιμπρᾶσθαι *licèt ardere videretur & quasi in cineres converti, nullum tamen damnum passa est.* Quod prodigiũ adeò fidem excessisse videbatur *Scaligero,* ut ea verba penitus omiserit in editione *Eusebii*; nisi dicendum est ipsum *Eusebium* priùs omisisse, quæ tamen apud *Georgium Syncellum* in nupera editione *Parisina* inter Scriptores hi-

 storiæ

ſtoriæ *Byzantina* reperiuntur, ac digna viſa ſunt *Euſtathio Antiocheno* quæ non ſine quodam commentario in illius *Hexaemeron* inſerantur ἐν ᾧ τόπῳ ὑπῆρχε καὶ ἡ τερέβινθος, ὑφ' ἣν ἔκρυψεν Ἰακὼβ τὰ εἴδωλα· ἥτις ἐστὶ καὶ νῦν εἰς τιμὴν τῶν προγόνων ὑπὸ τῶν πλησιοχώρων θρησκεύεται· ἔστι γὰρ τῷ δένδρῳ παρὰ τὸ πρέμνον αὐτῆς βωμὸς, ἐφ' ὃν τά τε ὁλοκαυτώματα καὶ τὰς ἑκατόμβας ἀνέφερον· εἶναί τέ φασιν ῥάβδον αὐτὴν ἑνὸς τῶν ἐπιξενωθέντων ἀγγέλων τῷ Ἀβραὰμ ἥνπερ τῷ τόπῳ τότε παρὼν ἐφύτευσε· καὶ ἐξ αὐτῆς ἡ ἀξιάγαστος αὕτη ἀνεφύη τερέβινθος· ὑφαφθεῖσα γὰρ ὅλη πῦρ γίγνεται, καὶ νομίζεται πᾶσιν εἰς κόνιν ἐκ τῆς φλογὸς ἀναλύεσθαι, κατασβεσθεῖσα μέν τοι ἀσινὴς ὅλη καὶ ἀκέραιος δείκνυται.

Sed jam ut è ſylva, ubi diu aberravi in viam redeã; Quemadmodũ autẽ veteres Scriptores rectè conjectati ſunt, *Ethnicos* immanem ἀνθρωποθυσίαν, qua iratos Deos ſanguine humano gaudentes placare ſoliti erãt, deduxiſſe ab exemplo *Abrahami* male intellecto, qui filium ſuum Deo in ſacrificium oblaturus eſſet, quod ex veteribus *Phœnicum Archivis* memoravit *Porphyrius*: ſimili modo ſtatuendum eſt, ab ejuſdem ſub quercu habitatione, ſacrificio, aliiſque

aliiſque pietatis officiis ibidem celebratis, hanc quernam *Druidum* religionem primitùs profluxiſſe : præſertim cum nulla hiſtoria in ſacris litteris reperienda eſt, nullum exemplum extat, quod non imitatæ ſunt, vel ſaltem depravârunt Gentes, Diabolo qui in omnibus *Supremi Numinis* æmulus hactenus viſus eſt, mancipatæ. At ſi vobis hujus querni cultûs originem altiùs quàm par eſt, repetiiſſe videremur, non eſt quod de altera conjectura, quam jam prolaturi ſumus, valde metuamus.

Recte olim obſervavit *Kimchius* in Iſa. lxv. 5. כן היה דרכם לעבוד עֿ תחת העצים רעננים שענפי ועליהם לחים *morem fuiſſe apud idololatras idola colere ſub arboribus frondoſis, quorum rami ac folia erant viridia.* Hinc arbores antiquitus plantatæ juxta delubra & altaria *Judic.* vi. 25. Cujus rei fortaſſe veſtigia non parva, in tiliis in cæmiteriis noſtris adhuc viſendis, extant. Neque enim quis diffiteri debet quamplurimas conſuetudines quoad originem ſuam Ethnicas & Superſtitioſas, jam ad nobiliorem & ſanctiorem uſum traductas

apud nos etiamnum retineri. Quod facillimum esset probatu, si id jam à nobis ageretur. Quapropter Deus sub œconomia *Mosaicæ* legis populum *Israeliticum* in idololatriam nimis pronum, strictè ac severè inhibuit, lucos istiusmodi frequentâsse *Exod.* xxxiv 13. & *Deut.* xvi. 21. Quo tamen posthabito interdicto aliquos Apostatas, qui à vero Dei cultu defecerunt sub quercubus sacrificâsse sacer codex passim testatur, *Hos.* iv. 13. *Ezech.* vi. 13. & cap. xx. 28. Hinc *lucorum* creberrima mentio; occurrunt etiam נביאי האשרה, ad verbum si *Græce* exprimas ἱερεῖς τῶν Δρυδὸς, 1 *Reg.* xviii. 19. Extra urbem hæc sacra peracta erant in excelsis sylvis sub omni *arbore frondosa*, præsertim *quercu*, ut præclare annotavit *R. Levi Gersomides* in 2 *Reg.* xvii. 10. מחוץ לעיר הציבו להם מצבות ואשרים על כל גבעה גבוהה ותחת כל עץ רענן וזה כלו בהפך כוונות התורה *Extra urbem erexerunt illis statuas & lucos, ac super omni alto colle ac sub omni arbore viridi, quod menti legis quàm maxime repugnat.*

Eundem

Eundem vero fuiſſe apud ſuperſtitioſas gentes cultum, hoſpes eſt ac omnium literarum penitus expers, qui in legendis Authoribus hactenus non obſervavit. Hinc *Jupiter* ἐνδενδρος *Rhodiis* dictus à lucis ubi colebatur, & *Diana Nemorensis*. Et *Arduenna* à ſylva ejuſdem nominis ſic in tabula marmorea in ædibus *Colotianis Romæ* apud *Janum Gruterum*, in ſtupendo iſto & nunquam ſatis laudato opere *Romanarum Inſcriptionum* pag. xl.9. dicitur *Ardoinne*, & in alio monumento *via Decia Salaria ad ſeptem balneas Q. Caſius appellatur Sacerdos Deanæ Arduinnæ* p.cccxiv.2. ut, in præſenti περὶ δρυὸς ὑψικόμου de eminenti iſta *quercu* tantopere celebrata in *Nemore Dodonæo* nil dicam. Quidni igitur in hac idololatrarum fæce hanc impiam ſub quercubus ſacrificandi conſuetudinem, mala imitatione ab eodem fonte *Druidas* deduxiſſe, juſtè cenſendum ſit?

Nec eſt quod quiſquam objiciat non adeò facilem tam corruptæ ac abominandæ ſuperſtitionis à *Judæa* in *Britanniam* tranſitum concedi poſſe ob loci diſtantiam, quæ omne commercium inter haſce regiones tam procul à ſe invicem diſſi-

tas

tas tollere videatur, huic enim absque omni sermonis pompa ac circuitu ita facillimè respondebitur, *Druides* nempe discipulos fuisse *Pythagoræ* ac in ipsius verba jurâsse, quicquid adeò illustris naturæ ac religionis mysta vel exemplo vel scripto vel disciplina commendavit, avidè amplexos admodum clarè patet non tam ex testimonio *Anthorum* qui infrà citabuntur, quam è consensu dogmatum ac eadem disciplinæ tum sacræ tum profanæ ratione, quæ iisdem cum *Pythagoreis* communia sunt, adeò ut tota religio & institutio *Druidum* nihil aliud erat; quam pressum ac exactum illius vitæ ac morum imitamentum.

Pythagoram vero totam ipsius philosophiam vel saltem maximam ejus partẽ è *Judæorum Cabbalâ* hausisse, adeò in confesso est apud eruditione antiqua paulò imbutos, ut operosa probatione non egeat. Inter ingentem illum testimoniorum cumulum quæ illud, quod jam præ manibus habemus, extra omnem dubitationem facile evincunt, duo vel tria hactenus leviter tacta tantum seligam. *Antonius Diogenes* in libris suis *De Incredibilibus in insula Thule* (ii autem sunt XXIV quos in

in compendium redegit *Photius* Codice CLXVI *Bibliothecæ*, quam Thesaurum omne genus doctrinæ merito appellaveris) refert, Πυθαγόραν πρὸς Αἰγυπτίους, καὶ πρὸς Ἄραβας, καὶ Χαλδαίους, καὶ Ἑβραίους ἀφικέσθαι, παρ' ὧν, καὶ τὴν περὶ ὀνείρων γνῶσιν ἠκριβώσατο, καὶ τῇ διὰ λιβανωτοῦ μαντείᾳ πρῶτος ἐχρήσατο. Deinde, paucis interjectis, addit Ἔν τε Βαβυλῶνι τοῖς τ' ἄλλοις Χαλδαίοις συνεγένετο, καὶ πρὸς Ζάβρατον ἀφίκετο, παρ' οὗ καὶ ἐκαθάρθη τὰ τοῦ προτέρου βίου λύματα, καὶ ἐδιδάχθαι ἀφ' οὗ ἁγνεύειν προσήκει τοὺς σπουδαίους, τόν τε περὶ φύσεως λόγον ἤκουσε, καὶ τίνες αἱ τῶν ὅλων ἀρχαί· ἐκ γὰρ τῆς περὶ ταῦτα, τὰ ἔθνη πλάνης ὁ Πυθαγόρας τὸ πλεῖστον τῆς σοφίας ἐνεπορεύσατο. Ex hac præstantissima hujusce scriptoris periocha (quam integram cum nonnullis aliis quæ ad *Pythagoram* propius spectant exscripsit (b) *Porphyrius in libro de vita hujus Philosophi*. (b) p. 185. edit. *Cantabr.*

Neque *Porphyrius* solus, sed *Clemens Alexandrinus*, *Plutarchus*, aliique omnes, hinc quicquid de peregrinationibus illius in *Ægyptum*, *Chaldæam*, ac *Arabiam* habent, excerpsisse videntur, utpote, quem paulo post *Alexandri* tempora floruisse εὐστόχως conjectatur πολυμαθέστατος ille & verè illuminatus *F. C.* nuperrime

perrimè laudatus) evidentissimè patet illum *Babylone* cum *Chaldæis*, *Ebræis*, & præcipuè cum quodam *Zabrato*, (quem *Ezechielem* prophetam fuisse censet *Alexander* apud *Clementem Alexandrinum*, sed prorsus male, ut postea probabimus) familiare commercium exercuisse, eumque de rerum natura ac Universi principiis sæpius perorantem audivisse. Quod *Jamblichus* etiam testatur in ejus vita ἐνταῦθα δὲ συμβαλόντα τοῖς τε Μώχου τοῦ φυσιολόγου προφήταις ἀπογόνοις. * *Arcerius* & *Seldenus* pro Μώχου reponunt Μωσέως quasi ad *Mosen* allusum esset quem *Judæi* אבי הנביאים *omnium prophetarum patrem* nuncupant, respectu cujus *Ezechiel* (si illum per *Zabratum* intelligi debere, fas esset conjectari) cæterique Prophetæ, inter ejus ἀπογόνους merito recensendi sunt. Sed hanc conjecturam vanam ac inanem esse postea demonstrabo. *Hermippus* etiam vetustissimus scriptor in *libro primo de Legislatoribus* apud * *Origenem* l. 1. adv. Celsum Πυθαγόραν τὴν ἑαυτοῦ φιλοσοφίαν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν, *Pythagoram suam Philosophiam à Judæis traduxisse in Græciam.* Quod testimonium etiam nobis

* Ec p. 3. p. 33. in notis p. 4.

* P. 13.

bis conservavit *Josephus* libro primo contra *Appionem* diligentissimus *Judaicarum* Antiquitatum vindex & indagator, eum nempe πολλὰ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὴν αὐτοῦ μετενεγκεῖν φιλοσοφίαν. Hinc concludendum est, *Pythagoram*, ex frequenti sacrorum codicum lectione, *Judaeorum* instituta, quibuscum tam diu versatus est, penitus scivisse, ac præsertim impium istum sub frondosis arboribus sacrificia offerendi morem, qui sub eodem tempore, quo ibidem commoratus est, fortean inolevit didicisse. *Seneca* Epist. XC ad *Lucilium* de *Zaleuco* & *Charondâ*, *hi non in foro nec in consultorum atrio, sed in Pythagoreo tacito illo, sanctoq; recessu didicerunt jura, quæ* florenti *tunc Siciliæ & per Italiam Græciæ ponerent.* Et huc forte referenda est ejus frequens deambulatio in templis & lucis, cujus meminit *Porphyrius* in ejus vita pag. 195. Hæc ex oriente in *Italiam* secum advehens, ex horumce omnium confusione ac magmate quandam *Philosophiam* instituit, à discipulis suis religiose observandam, à quo ut omnia alia dogmata *Druidas* hoc quoque de querno cultu accepisse æquissimum est ut firmiter credamus.

CAP. III.

Druides & Druidæ indiſcriminatim dicti. Druidum eruditio. Druides Magi. Magia olim rerum divinarum humanarumque cognitio. Diverſæ earundem vocum ſignificationes pro variis temporibus. Μάγος *non* ἀπὸ τῶ μάσσειν *nec ab Ebraico* מהגה *vel* מעון, *nec ab Arabico* مجس *Arabicum* مجوس *à Græco* μάγος. *Suidæ errores caſtigati. Al Firuzabadij error. Verum etymum* τῶ Μάγος *à Perſico* مغ *non proprio ſed appellativo nomine. Ejus varii ſignificatus elucidantur. Ignis à Perſis cultus.* חבר *Sacerdos Magi* Πύρεθοι كبر *Perſæ & Rabbini* γνώειμος *ſeu familiaris. Zoroaſtres, vitioſe ita dictus, Perſice, Zaradusht, Zorodasht. Varie ſcribitur.* Ζαράδης, Ζάρατος. *Zoroaſtres, ſectæ Magorum conditor. Brachmanes Indorum ſacerdotes. Brahamai ſeu Bramai.*

mai. Zoroastres alter, rex Bactrianorum. Zoroastres non ex Assyria oriundus. Pythagoras discipulus Zarati, i. e. Zoroastris. De Tempore quo floruit Pythagoras. Pythagoræ ætas. Μῶχος Zoroastres apud Jamblicum. Zoroastres Persa oriundus è regione Aderbigian. Zoroastres scripta ὑποβολιμαῖα. Gnostici varios libros confinxerunt. Zoroastris oracula spuria.

ORigine *Druidum* sic demonstratâ, qui & quales fuerint diligenti scrutinio inquirendum est, ubi primo de eruditione ac studiis quibus inclaruêre, postea de officio ac muniis sacris, quibus fungi solebant, ac denique de illorum institutis & dogmatibus è veterum scriptis fusè tractabimus. Sub hisce enim tribus capitulis quicquid de his olim dictum fuit, facili methodo coarctabitur. Antequam verò hoc aggredior, unico verbulo sufficiet monuisse, Tam *Druidas* quam *Druides* apud veteres promiscuè usurpari. Neque enim novum esse, easdem voces ad duas declinationes pertinere, indè τὸ *Druidæ* primæ inflexionis apud *Lucanum*, *Strabonem*, aliosque; & tertiæ

apud

apud *Cæsarem*, & *Tullium* de *Divinatione*.

De eruditione *Druidum* priùs dicendum: ubi antequam ad ſpecialia deſcendamus, pauca in genere præfari neceſſe erit. Inter ſapientiſſimos hoſce *Druides* recenſet *Celſus* apud *Origen.* lib. 1. p. 14. Τὺς μὲν Ὁμήρου Γαλακτοφάγους καὶ τὺς Γαλατῶν Δρυΐδας καὶ τὺς Γέτας σοφώτατα λέγει ἔθνη εἶναι καὶ ἀρχαῖα, eoſque eodem loco haberi, quo *Gymnoſophiſtæ* & *Brachmanes* apud *Indos*, apud *Perſas* *Magi*, apud *Aſſyrios Chaldæi* & *Vates*, & apud *Ægyptos Sacerdotes*, teſtantur *Diogenes Laertius* proæmio libri *de vitis Philoſophorum*, & (i) *Dion Chryſoſtomus* orat. XLIX. Quod clarius ac evidentius conſtabit ex iſtâ communi appellatione *Magorum*, quâ ab antiquis Scriptoribus paſſim ornantur. Unicum citabo *Plinium* in hujus ſententiæ pleniſſimam fidem, qui *Nat. Hiſt.* lib. 16. cap. 44. *Druidas Gallorum Sacerdotes Magos* appellat & cap. 1. lib. 30. ſcribit, *Magiam vel ſuis temporibus tam attonitè in Britanniâ celebratam, tantiſque cæremoniis, ut dediſſe eam Perſis videri poſſent; Hanc verò à Druidis exercitam fuiſſe, non ab in-* docta

(i) P. 538.

doctâ plebe, cui ista naturæ arcana e-rant incomperta planius alibi docet, ubi iisdem *Magiam* expressè ascribit. Quomodo autem è *Magiâ* quam illos calluisse certum est illorum eruditionem juste inferamus, si qua inter vos oriatur suspicio totius rei rationem à primâ origine, quo magis constaret, repetitam sic habetote.

Consuetudo ac sequioris ævi usus veterem significatum *Magiæ* adeò miserè pervertit ac distorsit, ut nemo ferè est, quin audito isto nomine malas istas & damnatas artes quas populo ostentare solent post pactum cum diabolo initum præstigiatores, cæterique impii artifices θαυματοποιοὶ, animo recolat, quasi τῇ γοητείᾳ sub quâ tanquam sub genere summo νεκυομαντία cæteræque divinationum species rectè comprehenduntur, planè esset synonymum. At si antiquitatem consulamus, alius sensus longè diversus passim nobis se exhibebit. Neque rarum cuique videri possit qui de vocum originibus earumque primigenio usu paulò sollicitus est easdem voces quæ erant in honore, ut loquitur *Venusinus* ille, multorum seculorum progressu in

vilitatem ac abusum tandem degenerasse. Omninò liberet apponere quæ in qualibet fere linguâ occurrunt exempla non pauca, si hoc quantulumcunque est opellæ à viris eruditissimis hactenus præoccupatum non intellexissem, ideoque ne à præsentis instituti ratione justo longius divagari videar Scholio isto *Choerobosci* eruditissimi *Grammatici* contentus supersedebo, Εὕροι γὰρ ἄν τις σκοπῶν λέξεις πλείστας, αἷς ἄλλως μὲν οἱ πάλαι ἐχρῶντο ἄνθρωποι, ἄλλως δ' οἱ νῦν. Καὶ αἱ τοῖς πάλαι οὖσαι ἐν χρήσει, παρεωράθησαν καὶ ἀπερρίφθησαν ὕστερον. Ἰδοὺ γὰρ τὸ τύραννος βασιλικὸν ὂν ὄνομα πρότερον, βλασφημεῖται νῦν. Καὶ τὸ χυδαῖοι οἱ πεπληθυσμένοι ἀπὸ τοῦ χύδην λεγόμενον, νῦν ἐπὶ ὀνειδισμοῦ λαμβάνεται. Καὶ τὸ πανοῦργος ἐπὶ φρονίμων λαμβανόμενον πρότερον, βλασφημεῖται νῦν· Καὶ τὸ ἐξαίσιον καὶ ἔκδικον τὸ ἔξω τοῦ αἰσίου καὶ δικαίου ἐλέγετο νῦν δὲ ἐπὶ καλοῦ λαμβάνεται· καὶ τὸ ἀνόσιος πάλαι μὲν τὸ ἄταφον ἐδήλου, νῦν δὲ τὸ ἀσεβῆ. Καὶ τὸ καθοσιωμένος, πάλαι μὲν τὸ ὅσιον ἐδήλου, νῦν δὲ τὸ ἀφιερωμένον· καὶ τὸ κάθαρμα ἀπὸ τοῦ καθαίρω, καὶ τὸ ἄγος καὶ τὸ ἐναγὴς ἀπὸ ἄζω τὸ σέβομαι γινόμενα, πάλαι μὲν ἐπὶ ἐπαίνου ἐλαμβάνοντο, νῦν δὲ ἐπὶ ψόγου· τὸ δὲ παναγὴς

γὴς

γῆς ἐπὶ ἐπαινοῦ μόνον ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ παραγινόμενον· καὶ μυρία ἕτερα εὕροι τις ἂν τοιαῦτα διεξετάζων· διὸ χρὴ κατὰ τὸν προσήκοντα λόγον ἑκάστῳ ἀνάγειν ὡς εἰς λιμένα τινὰ εἰς τοὺς προσήκοντας ἐκ τῶν τεσσάρων τῆς ὀρθογραφίας κανόνων· ἀναλογίαν, φημὶ, διάλεκτον, ἐτυμολογίαν καὶ ἱστορίαν. Hæc ille pulchrè & eruditè.

Inter cæteras verò hoc fatum passa est vox [Magia] quæ apud veteres nihil aliud quam rerum humanarum divinarumque exactam ac subtilem cognitionem denotabat, unde *Magi* qui in istiusmodi studiis versati erant. Sic *Sotion* perantiquus scriptor in XXIII libro de *successionibus* dixit τοὺς μάγους περὶ θεραπείας θεῶν διατρίβειν, καὶ θυσίας καὶ εὐχὰς, ἀσκεῖν τε μαντικὴν καὶ πρόρρησιν, ubi præcipuum munus quod ab illis obeundum erat, cultum Deorum Sacrificia nempe & preces respexisse manifestum est, ac deinde ex diligenti rerum observatione ortum vaticinium seu eventuum futurorum scientiam. A *Platone* non uno loco Μαγείαν appellari θεῶν θεραπείαν docti jampridem observarunt. *Pythagoram* verò περὶ τὰς τῶν θεῶν ἁγιστείας καὶ τὰ λοιπὰ τῶν περὶ τὸν βίον ἐπιτηδευμάτων παρὰ τῶν Μά-

 γων

γων διακῦσαί τε καὶ λαβεῖν *Deorum sacra & cultum, cateráque vitæ instituta* è *Magorum* institutione cognovisse ac (k)Pag.182. accepisse, constanti famâ nixus refert (k) *Porphyrius* in ejus vitâ quem pulcherimè (l) Pag.165. descripsit, qui in (l) quarto libro περὶ ἀποχῆς de iisdem hoc modo strictius agit, παρά γε μὴν τοῖς Πέρσαις οἱ περὶ τὸ θεῖον σοφοὶ, καὶ τούτου θεράποντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται· τοῦτο γὰρ δηλοῖ κατὰ τὴν ἐπιχώριον διάλεκτον ὁ Μάγος· οὕτω δὲ μέγα καὶ σεβάσμιον γένος τοῦτο παρὰ Πέρσαις νενόμισται, ὥστε καὶ Δαρεῖον τὸν Ὑστάσπου ἐπιγράψαι τῷ μνήματι πρὸς τοῖς ἄλλοις, ὅτι καὶ μαγικῶν γένοιτο διδάσκαλος. *Hesychius Grammaticorum* eruditissimus Μάγον τὸν ἀπατεῶνα, φαρμακευτὴν, τὸν θεοσεβῆ καὶ θεολόγον καὶ ἱερέα· οἱ Πέρσαι οὕτως λέγουσιν, itidem μαγεύειν γοητεύειν θεραπεύειν θεοὺς. *Theodorus Gaza* de *origine Turcarum* p. 388. μάγοι οὗτοι μὲν σεμνοῦ τινὸς βίου ζηλωταί. *Suidas* etiam utrumque significatum annotavit, qui postquam vocis abusum respiciendo dixerat μάγους καλοῦσι τοὺς ψεύδεις φαντασίας ἐμποιοῦντας ἑαυτοῖς, ἀπὸ τούτου δὲ καὶ τοὺς φαρμακοὺς μάγους λέγουσι statim addit veram illius originem Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι

καὶ

καὶ φιλόθεοι. Ideo nimis angustè interpretari videtur (*m*) *Jacobus Elgais* in *Lexico Syro-Arabico* ܡܓܘܫܘܬܐ ܗܝ ܦܘܠܚܢܐ ܕܐܣܛܘܟܣܐ *Maginsbutho cultus* στοιχειωσέων (hoc enim verbo utuntur *Syri* pro elemento) *Arabicè* عبادة الطبايع والاركان cultus naturarum & elementorum, qui ad Physicam totam *Magorum* scientiam restrinxisse videtur, cum tamen eam pro toto circulo literarum ac cultu sacro haberi ea quæ superius apponuntur satis evincunt.

(*m*) Apud *Ludov.* de *Dieu.* comment. in *Matth.* ii. v. 1,

Quod ad *Etymon* spectat, (nam de hoc pauca monuisse non omninò erit ingratum) non audiendi sunt *Eustathius* & *Marcus Musurus* seu quisquis Author erat *Etymologici Magni* illo longè antiquior quod potius credo, qui παρὰ τὸ μάσσειν petitum volunt, sensu non planè eodem, neque tamen admodum vario, (*n*) ille παρὰ τὸ μάσσειν ὅ ἐστι φυρᾶν τὶ στεγγίζειν hic quem κατὰ πόδα sequitur *Phavorinus* παρὰ τὸ μάσσειν τὸ μάσσω τὸ μαλάσσω quia διὰ τῶν μαγικῶν ἐμπλάστρων

(*n*) Tom. 1. com. in Hom. p.462.

τὰ μέλλοντα προλέγει *Magicis emplastris futura prænunciat*, quod quia primigenium vocis usum non attingit, omninò repudiandum est. Ineptiunt planè qui ab *Ebraico* מהגה deducunt quia præstigiatores inter incantandum solent mussitari, vel à מעוז *robur* quia ע aliquando à LXX per γ redditur & *Simon* ille *Magus* dicitur μεγάς τις. *Act.* viii. *V. C. Ludovicus* de *Dieu* à *Syriaco* & *Arabico* دس *scrutari, explorare* deducit cum *Mem Hemantico quasi exploratores, scrutatores naturæ, rerum cœlestium & terrestrium vestigatores.* Ingeniosè satis sed minùs solidè; nam præter diversam scriptionem quâ س & ش malè confunduntur, non debet *Magia* suos natales *Arabiæ* aut *Judææ*, ac proinde nomen quo appellatur illic neutiquam quærendum est. *Arabicum* autem مجوس à *Græco* μάγος derivari notius est quam ut probari debeat, hinc vicissim *Græci* scriptores pro Μάγοι habent Μαγουσαῖοι. *Epiphanius in expositione fidei* p. 1094. παρὰ Πέρσαις Μαγουσαῖοι. Sed ut quod

quod res est dicam. Has artes primitus apud *Persas* honore habitas fuisse, ac ab iisdem in *Ægyptum* cæterasque mundi plagas profluxisse constanti ac vix interruptâ per omnia secula traditione nixi antiqui scriptores libris suis passim attestantur, ideoque ab illorum linguâ non aliunde nomen deducendum quo melius illius origo innotescat, omninò necesse est. *Suidas* μαγεία καὶ ἀστρολογία ἀπὸ Μαγουσαίων ἤρξατο οἱ γὰρ τοι Πέρσαι Μαγὼγ ἀπὸ τῶν ἐγχωρίων ὀνομάζονται καὶ Μαγουσαῖοι οἱ αὐτοί. Ubi quadruplex error occurrit castigandus. 1. *Persas* ab incolis appellari *Magog*, quod sanè nuspiam hactenùs legimus isto vocabulo quod *Persicum* esse malè opinatur, *Persas* à se ita cognominari. 2. *Magusæos* esse nomen generale *Persarum*, hoc est ac si quis dixerit peculiare nomen alicujus sectæ toti genti è quâ oriundi sunt, rectè competere, *v. c. Druidum* appellationem omnibus *Britannis* ac *Pharisæorum* *Judais*, quod omnino explodendum est. *Phavorinus* Μάγων ὁ Πέρσης. malé.

3. Supposito *Persas* olim dictos fuisse *Magog* seu *Magogæos* nec sic tamen ab eo rectè fluxerit *Magia* vel *Magorum* etymon,

Magog

etymon, ſed potius dici debuit Μαγουσία, quod nuſquam occurrit. 4. Τὸ Μαγουσαῖοι tantummodò apud Scriptores *Græcos* reperitur quos nomen illud ab *Arabico* مالكوس mutuari ſupra diximus, illud verò originalitèr eſt idem cum *Græco* μάγ☉ ideóque τὸ πρῶτον ζήτημα recurrit unde τὸ μάγ☉ derivatur.

Mohammed Al Feruzabadius in ſuo celeberrimo *Lexico* قاموس dicto origine *Perſicum* agnovit, quaſi hiſce duabus vocibus componeretur ميج كوش quod *hominem brevibus & curtis auribus* denotat. Quod nullo modo concedendum eſt ob iſtam miſeram nominis diſtortionem (literis etiam quibuſdam additis) à primâ ſuâ origine. Deinde eodem modo quo *Græcè*, *Perſicè* ſcriptum opinatur. Neque certum eſt an hujus ſectæ *Anteſignanus* aures curtas haberet. Quanquam quod diſſimulare nollem *vir eruditiſſimus* hanc conjecturam ingenioſiſſimè fovet, referendo ad *Magum* iſtum, cujus aures *Cambyſen* præſcidiſſe refert *Juſtinus*, (e) *Cl. Salmaſius* part. 2. cap.

(e) Pag. 368.

2. cap. 2. de *Hellenisticâ* loquens de *Zoroastre* illum vocari, ait proprio nomine *Persicè* مغ unde *Græcis* Μάγος. At neque hanc conjecturam amplecti possimus nam مغ cum غ non cum ع ut scribit ille quoad originem suam est appellativum, indéque per *Antonomasian* ad *Zoroastrem* sectæ hujus Authorem transfertur. *Zoroastrem* ergo مغ dictum κατ' ἐξοχὴν non diffitemur, sola quæstio erit quid illud τὸ مغ quo appellatur, *Persicè* denotat.

Ut ideò post hanc circuitionem sententiam nostram proferamus, statuimus μάγος à *Persico* nomine appellativo مغ derivari. مغ autem varias habet significationes quarum præcipuas nostro instituto convenientes è præstantissimo vocum *Persicarum Thesauro MS.* qui appellatur لغت نعمت الله quem *Latinè* versum in *Lexico* 'Α-γλονικοσλαωπλάτῳ *Londinensi* propediem edendo

edendo expectare licebit jam proferam

مع زنديق يعني منكر

قيامة *Mog* idem ac *Zindik* h. e. *qui negat resurrectionem*; *Sadducæus*. Sic enim pronunciant *Arabes* & *Persæ* corruptum ex *Ebraico* צדוק *Dagesh* forti in צ resoluto, deinde مع آتش پرست *Mog ignis cultor*, peculiaritèr *Sacerdos Persarum*. Nam ignem apud *Persas* sacrum fuisse & ab iisdem cultum neminem latet, indeque constat *Magos* qui illius sacra peragebant dictos Πυρέθυς. (*p*) *Strabonis* verba hanc rem adeò illustrant, ut omninò digna sunt, quæ hic apponantur. Ἐν δὲ τῇ Καππαδοκίᾳ πολὺ γὰρ ἐστι τὸ τῶν Μάγων φῦλον οἱ καὶ Πύρεθοι καλοῦνται· πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερὰ) ὐ δὲ μαχαίρᾳ θύυσι ἀλλὰ κορμῷ τινὶ ὡς ἂν ὑπέρῳ τύπτοντες, ἔστι δὲ καὶ Πυραιθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι· ἐν δὲ τύτοις μέσοις βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττυσι οἱ μάγοι. At quia ignicolæ nomen ad omnes *Persas* æquè referri possit ac ad *Magos*, ideo prædictus

(*p*) *Geogr.* lib. 15. p. 504. ex edit. *Casaub.*]

ctus *Persa Lexicographus* aliam expositionem ex *Phacario* addit, quæ ad *Magos* restringi debet, per کبر scil. interpretando کبري

کويد کبررا مطلقا. کبر

autem est Sacerdos qui ignem accendit ut in illo eleganti *Proverbio Persico*

اکر صد سال کبر آتش

فروزد اکر يکدم اندرو

افتد بسوزد *Etsi Geber per centum annos accendat ignem, tamen si vel semel in eum incidat, comburitur.* Antea corruptè legebatur *Gaor* inde aliqui à کاو *Persicè* dicitur, cultu bovis qui deduxerunt sed کبر rectè restituit doctissimus *Warnerus.*

Quæ notio *Judæos* non penitùs latebat, qui ita suum חבר exponebant. *Sabbat.* cap. 1. fol. 11. תחת גוי ולא תחת חבר quod explicat *R. Nathan* in suo *Aruch*

שהיו

שהיו פרסיים קורין למומרין חברין והיו אותן חברין רעים מאד ומצירין לישראל *Persæ appellant sacrificulos suos* كبران *erantque* חברין i. e. *pessimi, graviterque opprimebant Israelem.* Quæ ultima verba rationem continent, quare coram gentili alio potius quam coram his *Judæus* assideret juxta monitum *R. Ismaelis*. Hanc significationem mutuati sunt *Talmudistæ* â *Persis* ob similitudinem pronunciationis, cum aliter *Ebraicè* denotat, eum qui est alicujus *Rabbini* γνώριμος seu familiaris, eum scilicet qui nondum *Rabbinatum* adeptus est; Talem illum fuisse & non *Persam* sacrificulum quocum disputavit *Rex Cosroes* de variis religionibus præsertim de *Judaici cultus fundamentis* tota libri contextura satis planè indicat. Hisce positis evidentèr patet nomen *Persicum* مغ unâ cum ipsâ arte in *Arabiam*, *Græciam*que transferri. Quod erat demonstrandum. Sed de nomine satis. Quod plurimum lucis mutuabitur, si pauca de hujusce sectæ Patre ac conditore addiderimus.

Is

Is vulgo appellatur *Zoroastres* etiam à perantiquis ſcriptoribus. Sed nomen proculdubio vitioſum eſt & πονηροῦ κόμματος, nam tale nomen toto ſuo ambitu vix admittit *Perſia*, quin illud à *Græcis* corruptum fatebitur quiſquis in ſcriptis popularium ejus qui paſſim meminerunt verſatus eſt. Illi variis modis appellant زردشت زردهشت

زردهشت زرداشت زردشت

زرادشت qui tamen à ſe invicem quoad pronuntiationem non multum differunt prout *Lexicographus Perſa* ſupra laudatus accuratiſſimè recenſuit.

Horum ultimus *Zaradusht* communiſſimus videtur, quo *Gregorius Abul-Pharagius* & *Eutychius Patriarcha Alexandrinus* utuntur, quem aliqui *Græci* Scriptores propemodum expreſſiſſe videntur dum reponunt pro *Zoroaſtre* Ζαράδην Ζάραδην, Ζάρατον & Ζώβραδον. *Agathias* libro ſecundo de bello *Perſico* οὗτος δὲ ὁ Ζώβραδος ἤτοι Ζαράδης, διττὴ γὰρ

ἐπ'

ἐπ' αὐτῷ ἡ ἐπωνυμία, &c. *Theodorus Mopsuestiæ Episcopus* libro primo de *Persarum Magiâ* apud *Photium* in *Biblioth. Cod.* LXXXI Ζασράδην appellat, lege Ζαράδην deleto σ quod oscitantiâ librariorum irrepserat. *Theodoretus* Therapeuticῶn cap. ix. nomine *Zaradam* gente *Persam* vocant. Falluntur ergo viri eruditissimi qui *Persicum* illud efferunt *Zaradshath*.

Huic unanimi consensu *Magiæ* originem & inventum referunt Scriptores. *Suidas* Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι ὧν ἦρχε Ζωροάστρης. Sic in Ζωροάστρης, Ζωροάστρης Περσομήδης σοφὸς παρὰ τοὺς ἐν τῇ 'Αστρονομίᾳ ὃς καὶ πρῶτος ἤρξατο τοῦ παρ' αὐτοῖς πολιτευομένου ὀνόματος τῶν Μάγων. (q) *Theodoretus* κατὰ τοὺς Ζαράδου πάλαι Πέρσαι πολιτευόμενοι νόμους. *Theodorus* τὸ μιαρὸν τῶν Περσῶν δόγμα ὃ Ζαράδης εἰσηγήσατο ἤτοι περὶ τοῦ Ζαρουὰμ ὃν ἀρχηγὸν πάντων εἰσάγει, ὃν καὶ τύχην καλεῖ. *Plinius* Nat. Hist. lib. 30. cap. 1. *Sine dubio illic orta* [Magia] in *Perside* à *Zoroastre* ut *inter Authores convenit*. *Eutychius* in *Annalium Alexandrinorum* parte 1. p. 262.

(q) De legib. lib. 9.

في ايامه ظهر رجل فارسي
يقال زرادشت فاظهر دين
المجوس واتخذ بيوت
النيران *Ipſius* (nempe *Smardii Magi*, quem ideò ita cognominatum opinatur *Anthor* noſter, ſed malè neque enim quo tempore floruit exactè inquirere jam patitur inſtituti noſtri deſignata brevitas) *diebus floruit Perſa quidam nomine Zorodaſht* qui *magorum religionem condidit, adeſque igni dedicavit.* Identidem (r) *Gregorius Abul-Pharagius* in *hiſtoriâ compendioſâ Dynaſtiarum*, quam vir præcellentiſſimus ac eruditiſſimus *Angliæ* magnum decus & ornamentum *Edvardus Pocockius* hic *Oxonii* edidit في هذي الزمان كان
زرادشت معلم المجوسية
Hoc tempore ſcil. *(ſub Cambyſe* filio *Cyri)* *fuit*

(r) Pag. 83.

fuit Zorodasht praceptor secta Magorum Nimatalla Glossarii Persico-Turcici Author زرادشت امام موغان *Zaradusht antistes Mogan.* i. e. Magorum; itidem زرادشت امام در ملة ابراهيم ع م *Zaradusht antistes secta Abrahami super quem pax.* Verisimillimum mihi quidem videtur illum intellexisse *Brachmanes* Philosophos ac Sacerdotes *Indorum*, qui eadem sacra igni cum *Persarum Magis* peragebant. Hanc conjecturam esse exactè ad mentem hujus *Lexicographi* planè inducor ut credam è nomine הברהמיים quo eos *Ebraicè* appellat *Cozri* Rex *Persia* in *disputatione* cum *Judao*, ubi annotat (*f*) *Muscatus* vir præter morem *Judaica* gentis in exoticis linguis & historiis versatissimus אולי הם אומות שמייחסים עצמם לאברהם כאלו אמר האברהמיים וכמו שמצינו הנרים מייחסים עצמם להגר ואולי הם מבני פלגשים

(*f*) Part. 2. sect. 33. & Venit edit. *Buxt.* p. 109. 109.

פלגשים אשר נתן להם אברהם מתנות וישלחם וגו Fortasse sunt populi, qui suam originem ascribunt *Abrahamo*, ac si diceris האברהמיים *Abrahamæi*, sicut *Hagareni* dicuntur ab *Hagare*. Fieri etiam potest, ut fuerint ex filiis concubinarum, quibus *Abraham* dedit dona, & eos dimisit, *&c.*

Quasi *Brachmanes* hi (quos melius ac rectius cum iis qui elegantiori modo loquendi delectantur *Brahamæos* seu *Bramæos* (t) *Arabicè* dicuntur البراهمة وهم عبادة الهند *Brahamitæ hi verò religiosi Indorum*) quorum de stirpe non pauci prognati hodieque in *Indiâ Orientali* degunt) ab *Abrahamo Patriarcha* nomen & originem suam derivarent.

Malè autem confunditur * *Zoroastres Magus* cum Rege *Bactrianorum* adversus quem *Ninus* dimicavit. (u) *Eusebius* κατὰ Νῖνον Ζωροάστρης ὁ μάγος Βακτρίων ἐβασίλευσε. (x) *Arnobius*; *Ut inter Assyrios & Bactrianos, Nino quodam Zoroastreque*

(t) *Geogr. Nubiens.* parte 8. climatis 1.

* *Varios fuisse* Zoroastres *dictos olim monuit* Plinius *lib.* 30. *hist. nat. cap.* 1. (u) Chronic. *lib.* 2. *p.* 89. (x) *Lib.* 1.

aſtreque ductoribus non tantum ferro dimicaretur, verum etiam Magicis & Chaldæorum reconditis diſciplinis invidia hæc noſtra fuit. Juſtinus initio hiſtoriæ, poſtremum Nino bellum cum Zoroaſtre Rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes Magicas inveniſſe, & mundi principia, ſyderumque motus diligentiſſimè ſpectaſſe. (y) *Eutychius* quendam *Zoroaſtrem Zabiorum* authorem diebus *Nachoris* floruiſſe aſſerit

(y) *Ann. Alex.* part. 1. p. 62.

في ايامه ظهر رجل فارسي يقال له زرادشت فاظهر دين الصابيين وكان بفارس ملك يقال له طخمورث

Diebus ejus floruit Perſa cui nomen Zoradaſht qui religionem Zabiorum condidit, quo tempore Tachmurt imperio Perſarum præfuit. Suidas illum dicit *Iliaco excidio* quingentis annis antiquiorem.

At *Cteſias* hiſce omnibus longè antiquior

quior hâc in re magis credendus eſt, qui regem iſtum *Bactrianorum* appellat *Oxyartem*; inde poſterioris ævi Scriptores nomina miſerè & oſcitantèr confundentes; quod unius erat proprium alteri audacter nimis attribuebant. Longè ergo iſto Rege poſteriorem fuiſſe *Magum* noſtrum veriſimillimum eſt, de cujus patriâ quâ naſci contigit reſtat ut paucis inquiramus.

(z) *Gregorius Abul-Pharagius* refert quoſdam aſſeruiſſe *Zoroaſtrem* ex *Aſſyriâ* oriundum قيل من بلاد اثور Et ſanè ſupra memoravimus *Alexandrum* libro de *ſymbolis Pythagoricis* apud *Clement Alexandrinum Strom.* 1. retuliſſe Ναζαράτῳ τῷ Ἀσσυρίῳ μαθητεῦσαι τὸν Πυθαγόραν *Pythagoram diſcipulum fuiſſe Nazarati Aſſyrii*, ubi ſublatâ primâ ſyllabâ quam à fine præcedentis vocabuli malè repetierunt Librarii Ζαράτῳ reponendum conſonum eſt ut ſtatuamus. *Zaratus* ſeu *Zarades* à *Perſico Zaraduſt* parum vel nihil abludit. Ipſe ergo *Zoroaſtres* erat præceptor *Pythagoræ*, à quo (aliis neutiquam excluſis) ſuæ Philoſo-

(z) P. 32

phiæ principia & cultûs ſacri rationem didicit & exhauſit. Neque huic conjecturæ refragatur calculus chronologicus, ſi eum *Gregorius* rectè ſupputaverit, qui *Pythagoram* ſub *Dario filio Hyſtaſpidis ſucceſſore Cambyſis* diem ultimum obiiſſe. Quod tamen non admittere videtur *Jamblichus* qui illum è *Zoroaſtris* nepotibus non ab ipſo *Zoroaſtre* didiciſſe ſcribit, niſi dicendum ſit hujuſce ἐναντιοφανείας reconciliandæ ergò *Pythagoram* provectiſſimæ ætatis, (utpote quem nonaginta quinque annos vixiſſe refert (*a*) *Gregorius*, centum & quatuor illius vitæ *ſcriptor Anonymus* apud *Photium* Bibl. codice 249.) nepotes *i. e.* diſcipulos ſe melius inſtitutos *Zoroaſtris* quocum juvenis verſatus fuerat, poſtea conſuluiſſe. Verba autem *Jamblichi* occurrunt capite tertio ἐνταῦθα γὰρ συμβαλὼν τοῖς τε Μώχου τοῦ φυσιολόγου προφήταις ἀπογόνοις καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ φοινικοῖς ἱεροφάνταις, *&c.* Unde evidenter patet ingenioſam *Arcerii* & *Seldeni* conjecturam quâ τὸ Μόσχου vice Μώχου ſubſtituebatur, nihil ſolidi tinnire. Nam ibi per *Mochum* intelligendus eſt *Zoroaſtres* qui ita κατ' ἐξοχὴν nuncupatur, utpote idem cum *Perſico*

(*a*) Pag. 84.

* P. 33.

* *Notis* p. 4.

مغ sublatâ *Græcâ* terminatione. At communior Scriptorum quos suprà abundè citavimus, sententia simul ac origo *Magiæ* potius persuadent, ut credamus *Zoroastrem Persiæ* suos natales debere. Quâ verò istius amplissimæ terræ regione natus, *Græci* Scriptores altum silent, quod ne diutius nesciremus effecit diligentissimus ille ac præstantissimus *Syrus* qui historiam totius mundi ad usque sua tempora *linguâ Arabicâ* elegantissimè descripsit

في هذي زمان
زرادشت معلم المجوسية
واصله من بلد ادربيجان

Tempore ejus (Cambysis) floruit *Zorodasht conditor sectæ Magorum, qui oriundus erat è regione Aderbigian, quem è discipulis Eliæ Prophetæ à quibusdam haberi scribit. Persas docuisse de futuro adventu Messiæ, & de cometâ apparituro quando de purâ ac intactâ virgine esset nascendus.* Quod fidem vix obtinebit.

Cum ergo tantus esset, non mirum videbitur si maleferiatorum quorundam audax astutia, ut tam venerandæ authoritatis præstigiis superstitiosam plebem firmius sibi obstringeret scripta ὑποβολιμαῖα mixti generis illi ascripserit, quorum catalogum *Suidas* opere suo hoc modo recensuit φέρεται δ' αὐτοῦ περὶ φύσεως βιβλία δ΄, περὶ λιθίων τιμίων ἕν, ἀστεροσκοπικὰ ἀποτελέσματα βιβλία ε΄. (*b*) *Ismael Abulfeda* asserit illum fuisse صاحب كتاب المجوس Authorem libri Magorum qui ni fallor idem videtur cum eo esse qui زرد quo varios ignis à *Persis* dicitur colendi ritus ac *Magiæ* præcepta tradit. Illum ab antiquo tempore periisse certum est: *Gnostici* autem sub illius nomine librum ediderunt fortassè non dissimilis argumenti sed hunc suppositititium, adulterinum, & ab iis confictum fuisse peculiari tractatu demonstravit *Porphyrius*, ut ipse in *Plotini* vitâ testatur. Quod iisdem solenne fuisse præter testimonium *Porphyrii* clarè evincit (*c*) *Epiphanius* qui eos librum de *progenie Mariæ* ac (*d*) *Evangelium* sub

(*b*) *In hist.* c. *de* Persis *apud* Cl. Pocock. *not. in Greg* p. 146, 148.

(*c*) *Tan.* lib. 1. *har.* 26. n. 12.
(*d*) N. 13.

sub *Philippi* nomine confinxisse scribit. Quod verò ad *Zoroastris* oracula spectat, quæ *Ludovicus Tiletanus* cum *Pselli* & *Georgii Gemisti Clethonis* præceptoris *Bessarionis* commentariis *Græcè* olim edidit è scriptis *Procli*, *Synesii*, cæterumque *Platonicorum* collecta, postea *Græco-Latinè Franciscus Patritius* ea ὑποβολιμαῖα καὶ ψευδεπίγραφα fatebitur necesse est, quicunque ea vel perfunctoriè unquam legerit, cum ibi μυστικώτατον illud de sanctissimâ ac individuâ *Trinitate* dogma, cujus vestigia obscura habemus apud veros Dei prophetas planissimè explicatum, quod *Ethnicis* tam clarè innotuisse ante tempora *Messiæ* non est quod ullatenus concedamus. Verisimile mihi quidem videtur aliquem è cætu *Christianorum* (quod etiam de libris *Hermeti Trismegisto* ascriptis dicendum est) hæc oracula finxisse vel saltem piâ fraude interpolasse, ut *Ethnici* hujus magni ac venerandi nominis authoritate allecti, illud præcipuum *Christianæ* fidei ac religionis dogma facilius amplecterentur.

C A P.

CAP. IV.

Druides Magi & incantatores, visci usus in ritibus Magicis. Saxonicum δρy. *Viscus ac aureus ramus. De augurio Druidum. Mulieres Fatidicæ Druiades sub Alexandro Severo & Aureliano.*

DUM ergo sub nomine *Magiæ* philosophiam cæterasque mentis dotes venire hactenus contenderim, non est quod quisquam cogitet me *Druidas*, omnesque alios qui audiunt *Magi* penitùs excusasse, quasi ab exercitio istius damnatæ artis isto nomine jam apud vulgus notæ essent immunes. Nam facilè licebit conjectari illos visco in *Magicis* ritibus usos fuisse, quem ob virtutem nescio quam tantoperè deprædicabant, ut absque eo ne sacra quidem peracta esse plusquam verisimile est. *Ovidius*

Ad viscum Druidæ, Druidæ *cantare solebant.*

Perinde

Perinde erit, Si vel Ad vel At initio versiculi legatur. Sed quod rem extra omne dubium ponit, *Saxones* etiam ab antiquis temporibus quæ *Druidas* proximè attingunt, inde Magum seu Veneficum appellabant ðꝛy, artemque Magicam ðꝛy cꝛæft quasi diceres artem *Druidarum*, ut è doctissimo *Somnero* satis patet.

Ad horum *Magiam* respexisse *Virgilium* libro 6 *Æneadum*, ubi agit de aureo ramo ac visco conjectatur (a) *Petrus Crinitus* (a) Lib. 4. cap. 10.

Latet arbore opaca
Aureus, & foliis & lento vimine ramo
Junoni *infernæ dictus Sacer, hunc tegit omnis*
Lucus, & obscuris claudunt convallibus umbræ.

In sacrificiis horum vel saltem similium rituum usum increbuisse (b) *Plinius* planè indicat, *Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit.* Sed de his ampliandum censeo. (b) Lib. 16 cap. 44.

De futurorum eventuum prænuntiatione quam sibi arrogabant *Druidæ*, deque

que augurio aliisque Vaticinii ſpeciebus tantus eſt Authorum conſenſus, ut id à nemine in dubium vocari debet (c) *Diodorus Siculus*, Χρῶνται δὲ καὶ μάντεσιν, ἀποδοχῆς μεγάλης ἀξιοῦντες αὐτούς· οὗτος δὲ διά τε οἰωνοσκοπίας, καὶ διὰ τῶν ἱερείων θυσίας τὰ μέλλοντα προλέγουσι. Quod ipſum de *Divitiaco Heduorum* principe teſtatur *Cicero* in libro primo *De Divinatione*, *in Gallia Druides ſunt, è quibus ipſe Divitiacum Æduum cognovi, qui & naturæ rationem, quam Phyſiologiam Græci appellant, notam eſſe ſibi profitiebatur, & partim auguriis, partim conjectura, quæ eſſent, futura dicebant.* Sic ex incendio quo flagrabat *Capitolium*; *Romanum* imperium in pejus ruiturum, ac *Britannis* omnia ex voto optimè ſucceſſura prædixerunt *Druidæ*, quos eventus palam traduxit, & in hac vaticinandi arte quam populo oſtentarunt neutiquam certos eſſe demonſtravit. *Tacitus* libro 4 *Hiſtoriarum*, *Fatali nunc igne, ſignum cæleſtis iræ datum, & poſſeſſionem rerum humanarum Tranſalpinis gentibus portendi ſuperſtitione vana Druidæ canebant.* Ex horum ſtirpe prognatæ videntur iſtæ mulieres fatidicæ, ſagæ ſeu vaticinatrices dictæ *Druindes*, ſeu ut

(c) L b. 5. *Bib Hiſt.* p. 213. *edit.* Stepha.

optimæ

optimæ ac vetustissimæ membranæ habent *Dryades* (nec aliter rectè scribi oportere contendit vir summus *Claudius Salmasius*) quas æquè vani ac superstitiosi homines de rebus dubiis ac contingenter futuris consulebant. Harum *Dryadum* frequens mentio apud *Augustæ* historiæ scriptores. (*d*) *Ælius Lampridius* in *Alexandro Severo*, *Mulier Druias eunti exclamavit Gallico sermone Vadas, nec victoriam speres, nec militi tuo credas.* Sic (*e*) *Flavius Vopiscus* in *Aureliano* scribit, *Illum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem utrum apud ejus posteros imperium permaneret, tum illas respondisse* (*hæc* nempe narrat ex fide *Asclepiodori*) *nullius clarius in Rep. nomen quam Claudii posterorum futurum, & est quidem jam Constantinus imperator, ejusdem vir sanguinis cujus puto posteros ad eam gloriam quæ à Druidibus prænuntiata sit, pervenire.*

(*d*) P. 135.

(*e*) P. 224.

CAP.

CAP. V.

Druides rerum civilium adminiſtratores. Authoritas Druidum ampla. Aſtronomiam, Geographiamque callebant Druidæ. Druides Medici & Græcè docti. Eruditio Græcorum toto orbe celebris. Græcarum literarum uſus apud Druides, uti etiam apud cæteros Britannos. Druides juventutis Britannicæ Præceptores.

HActenus de eruditione *Druidum* egimus, jam ad exactiorem illius enucleationem opportunum erit ut properè deſcendamus.

A Juriſprudentiâ ac civili rerum adminiſtratione incipiamus. *Druidas* ſanè peritos fuiſſe quod ſupra teſtantur *Ariſtoteles*, & *Sotion* nemo negare audebit, niſi qui in hiſtoriarum lectione merè hoſpes eſt. Quidni enim credendum eſt, hiſce Septentrionalibus mundi plagis aliquot eruditos extitiſſe, etſi perpaucos quidem, etſi plurimos ex incolis turpiſſi-

ma

ma invaderet barbaries. Alitèr legum civilium quibus populus intra strictos officii limites coercebatur, interpretes essent prorsus inidonei. Ad hos pertinebat litium controversiarumque determinatio, ad illorum *Tribunal* jus decidendum erat, si cædes facta, si de hereditate finibusque controversum fuisset, ad *Druides* confugiendum, qui singulis quod cujusque erat, tribuebat, penes quos præmiorum benè merentibus debitorum collatio, ac animadversio in sontes varia pro cujuslibet merito ac crimine. Ita *Cæsar* qui primus *Druidarum* leges, jura, cæremonias, ritusque in *Commentariis* suis exaravit *lib. 6. De bello Gallico cap.* 21. *Ferè de omnibus controversiis publicis, privatisque constituunt, & si quod admissum est, facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia est, iidem decernunt, præmia, pœnasque constituunt.* (*a*) Strabo *libro quarto* Geographiæ Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ, καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι· δικαιότατοι δὲ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται τάς τε ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς κοινάς, i. e. *Druidæ præter studium rerum naturalium, moralem philosophiam exercent, habentur æquissimi, ideoque iis committunt*

(*a*) Pag. 146.

committunt tam publica quam privata judicia. Statim ſubjungit, idem præclarus *Author* τὰς τὲ φονικὰς δίκας μάλιστα τούτοις ἐπετέτραπτο δικάζειν *iisdem etiam commiſſum fuit cauſarum capitalium examen ac earundem deciſio.* (*b*) *Dion Chryſoſtomus Orat.* XLIX majorem iis in adminiſtrando civili regimine authoritatem aſcribit, quaſi ab eorum nutu ac conſenſu ne Regibus quidem conſulere liceret, nedum de rebus faciendis ſtatuere Κελτοὶ δὲ οὓς ὀνομάζουσι Δρυΐδας καὶ τούτους περὶ μαντικὴν ὄντας, καὶ τὴν ἄλλην σοφίαν ὧν ἄνευ τοῖς Βασιλεῦσιν οὐδὲν ἐξῆν πράττειν οὐδὲ βουλεύεσθαι

(*b*) Pag. 538.

Adeo ampla erat in hiſce rebus *Druidum* authoritas, ut illos tanquam tot numina ſuperſtitioſa plebs impenſè veneraretur, ut poſtea videbimus. Quorum deciſionibus ſi quis præfracti ingenii non ſteterit, majori pœnâ prout tunc temporis habebatur, affectus erat, utpote cultu ſacro ac ſacrificiis interdictus, donec errore ſuo agnito cordatè reſipuerit. Sed de hâc *excommunicatione* proximo capite, quando de illorum officiis ac muniis ſacris diſſeremus, opportunior erit dicendi locus.

Aſtronomiam, Geographiam cæteraſque

que politioris literaturæ species callebant *Druidæ.* (c) Cæsar, *multa præterea de syderibus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac potestate disputant & juventuti tradunt. Pomponius Mela lib.* 3. *de situ orbis cap.* 2. *Hi terræ mundique magnitudinem & formam, motus cæli ac syderum ac quid Dii velint scire profitentur.* Sic non minori successu in investigandis rerum naturis versati erant. *Cicero libro primo de divinatione,* in *Gallia Druides sunt, è quibus ipse Divitiacum Æduum cognovi, qui & naturæ rationem quam Physiologiam Græci appellant notam esse sibi profitebatur, &c. Ammianus Marcellinus* libro ~~quinto~~. 15 *Inter hos Druidæ ingeniis celsiores ut auctoritas Pythagoræ decrevit, sodalitiis astricti & consortiis, quæstionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt.*

(c) Lib. 6.

Quidni dicamus *Druidas* medicinæ peritos, *Plinii* auctoritas nos defenderet, *lib.* XXX *cap.* 1. *Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas Gallorum & hoc genus Vatum, medicorumque.* Neque aliò referri possint ultima verba.

Druidas etiam *Græcè* doctos aliquantillum

tillum ſaltem aſſerere non verebor, quando *Cæſarem*, cujus oraculum inſcium falli venerari ſoleo, tanquam è *Tripode* pronunciantem audio, *in reliquis ferè rebus publicis privatiſque rationibus Græcis literis utuntur*, hæc ille. Num alicui veriſimile videri poſſit eos uti *Græcis literis* ignaros iſtius linguæ cujus iſtæ literæ ſunt maximè propriæ. Et tamen hoc (*d*) magno *Seldeno* placet, qui tale argumentum temerè, ac infirmè colligi contendit. Quandoque illud non tenere fateor, at ſemper, id verò pernego. Ego ſanè judicio hujus conſultiſſimi viri refragari vix auderem niſi *Græcam* eruditionem toto terrarum orbe celebrem, hæc loca penè ab orbe diviſa, etiam penetraſſe longè ante *Cæſaris* adventum probè ſciviſſem crediſſemque. Colonias *Græcorum* longè latéque ſparſas fuiſſe adeo manifeſtum eſt, ut lucernam coram ſole accenſurus eſſem, ſi ad hujus ſententiæ fidem faciendam curioſitate vanâ ac penitùs damnandâ varia auctorum teſtimonia citavero. Fruſtra eſt qui hanc coloniarum deductionem ad proximos tantùm fines reſtringit, quarum beneficio longinquas regiones haud carere omnino

(*d*) *Jan. Angl.* p. 197.

evincit

evincit nobilis illa colonia, *Massiliensis* dicta (nè cæteras minus nobiles per totam *Italiam*, *Siciliamque* diffusas in præsenti nominem) tot historicorum scriptis merito celebrata, ut uti elegantissimè loquitur (e) *Justinus*, *non Græcia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Græciam translata videretur.* Unde rectè concludimus (f) *Strabonem* haud falsò pronuntiasse ὥστε καὶ ἡ πόλις μικρῷ μὲν πρότερον τοῖς βαρβάροις ἀνεῖτο παιδευτήριον καὶ φιλέλληνας κατασκεύασε τοὺς Γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια Ἑλληνιστὶ γράφειν.

(e) *Histor.* lib. 43.

(f) *Geogr.* p. 125.

Cui plenè suffragatur *Marcianus Heracleota* ἐν περιηγήσει, χρῶνται δὲ Κελτοὶ, τοῖς ἔθεσιν Ἑλληνικοῖς ἔχοντες οἰκειότητα πρὸς τὴν Ἑλλάδα. Quidni ergo & linguam saltem literas mutuati sint? At verò si quis deinde pertendat hos Auctores tantummodò è famâ aliorum quæ sæpenumero à vero aberrat, ac pessimè mentitur hæc scripsisse, en *Cæsarem* ipsum oculatum testem (cujus fidem nemo qui de *Cæsaris* famâ unquam audiverit in dubium, ut ego opinor, vocabit) qui tabulas in castris *Helvetiorum Græcis* exaratas literis inventas fuisse viderat (h). *Josephus Scaliger* hâc de re à *Claudio Vernellâ*

(g) *Bel. Gal.* lib. 1.

(h) *Epist.* xvi.

nellâ consultus præter morem inconstans est, neque utram opinionem sequi præstat, benè scivit. *Puto*, inquit, *Druidas tum Græcè scisse*; cui sententiæ statim contradicit, dum audactèr nimis τὸ *Græcis* delendum censet. Qualisnam o boni! erit sensus accuratissimi scriptoris, si ita refingatur, *in reliquis ferè rebus publicis privatisque* (*rationibus* quòd sequi debet omittit *Scaliger*) *literis usos fuisse Druidas*? num scribere potuerint absque ope literarum? Apage conjecturam quæ sensum malè corrumpit dispunctione istius vocabuli cujus gratiâ ista adduntur à *Cæsare.*

Neque est quod suspicari debuit *vir* ille magnus de usu *Græcarum* literarum apud *Helvetios*, quasi rem olim non ita se habere pro comperto haberet, quia tum *Alpium* finibus terminari *Græcas* literas δουλεύων τῇ ὑποθέσει putaverat, cum istarum literarum trāsitus è *Massilia* in *Galliam* perquam facilis videtur. Urget fortius doctissimus *Seldenus* (*i*) ex ipso Cæsare qui *ad Q. Ciceronem apud Nervios obsessum daturus literas ideò Græcè conscriptas misit, nè interceptâ fortean epistolâ ab hostibus consilia cognoscerentur*; hæc

(*i*) *Bel.Gal.* lib.7.

hæc ille. Sed tamen hoc palmario, uti ipsi visum fuit, argumento hactenùs non vicit, neque causam suam obtinuit quasi sequeretur *Druidas* qui à bello uti ipse *Cæsar* optimè cognoverat, abesse assueti erant, utpote ab omni militiâ immunes, ideò non caluisse linguam *Græcam*, quia barbari milites, indoctumque vulgus à discendis literis alienis prorsùs inassuetum ignorabant. Unde evanuit levis ac incerta aliquot doctorum virorum de interpolatâ *Cæsaris* lectione, quam nos illorum pace meritò explodimus.

Græcis literis *Britannos* olim usos dicit *Prisans* (k) in *defensione historiæ Britannicæ*, quod à viro nobilissimo non gratis dictum est, sed argumentis valdè probabilibus rem ita fuisse probare operosè satagit. Qui sanè non ita intelligendus est, ac si *Britanni* literas linguæ suæ proprias non haberent, sed quia præter usum propriarum literarum accommodarent vocabula peregrinis literis primò *Druidæ*, deinde cæteri harum novitate affecti, postea iisdem promiscuè in rebus publicis, privatisque rationibus, ut è *Cæsare* jamjam docuimus, usi sunt. Prioris generis fuisse characteres istos peregrinos

(k) Pag. 4.

 grinos

(l) Britan. p. 546.

grinos (*l*) in columellis ad *Y-Voellas* exaratos quorum meminit *Britannicus* noster *Pausanias* tutò fortasse licebit conjectari. Sed in ejusmodi conjecturis pulchram quanquam veri speciem præ se ferant, non nimis confidendum est. De hac ideò pro arbitrio quicquid sibi magis arrideat, æquus & eruditus Lector statuat.

Cum ergo studio literarum adeò illustres evasere *Druidæ*, maximè consentaneum videtur penes hos sapientiæ magistros (ut appellat *Mela*) juventutis erudiendæ jus ac privilegium fuisse. Ad hos parentes filios suos avide ablegabant, ut disciplinæ severioris exercitio subacti, quo melius vita dirigatur, inde discant. *Cæsar*. Suà sponte multi in disciplinam conveniunt, & à propinquis parentibus mittuntur, *Mela*. docent multa nobilissimos gentis clam & diu vicenis annis, *&c*. Sed de modo quo in instituenda juventute usi sunt, postea disputabimus, quando de dogmatibus illorum quæ è scholâ *Pythagoræ* exhauserunt, verba fecerimus.

CAP.

CAP. VI.

Druides Britannorum sacerdotes. Vates & Druides iidem, nullum sacrificium absque Druide peragendum apud Britannos, absque sacerdote apud Israelitas, absque Mago apud Persas. Varii sacrificandi ritus. Belinus seu Belenus Apollo. Teutates, ESus. Taranes. Theuth! Φθᾶς Teutates, non Mars sed Mercurius. Druidum ἀνθρωποθυσία. Eadem sacerrima feritas apud alias gentes in usu.

ERuditione *Druidum* fusè demonstratâ, de officiis ac muniis sacris quibus fungi solebant, secundo loco dispiciendum est. Hos enim *Britannorum* sacerdotes fuisse fidem abunde satis facit *Cæsar, qui eos rebus divinis interesse, sacrificia publica & privata procurare & religiones interpretari* dicit. *Lucanus*

Et vos barbaricos ritus moremque ſiniſtrum.
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis
Solis noſſe Deos, & cœli ſydera vobis
Aut ſolis neſcire datum.

(a) Lib. 5. *Bibliothecæ hiſtoricæ* p. 243. *edit.* Stephan.

(*a*) *Diodorus Siculus.* Φιλόσοφοί δέ τινες εἰσι, καὶ θεολόγοι περιττῶς τιμούμενοι, οὓς Σαρωνίδας ὀνομάζουσι· ἔθος δ' αὐτοῖς ἐστι μηδένα θυσίαν ποιεῖν, ἄνευ φιλοσόφου, διὰ γὰρ τῶν ἐμπείρων τῆς θείας φύσεως ὡς περί τινων ὁμοφώνων τὰ χαριστήρια τοῖς θεοῖς φασι δεῖν προσφέρειν καὶ διὰ τούτων οἴονται δεῖν τἀγαθὰ αἰτεῖσθαι, οὐ μόνον δ' ἐν ταῖς εἰρηνικαῖς χρείαις ἀλλὰ καὶ κατὰ τοὺς πολέμους.

Totum verò illud quod ſequitur lapſu memoriæ *Vatibus* attributum (ni prorſus iidem ſunt cùm *Druidibus* quod potius opinor, nam quâ de cauſâ ille quem ſequuntur *Strabo* & *Ammianus Marcellinus* eruditos gentis *Britannicæ* in *Druides*, *Vates*, & *Bardos* diſtribuit, nondum edoctus ſum) meliori jure *Druidibus* competit. Sic inter requiſitas ſacrificiorum apud *Judæos* conditiones hæc etiam eminuit, ut nihil eorum offerat in altari quis-

quispiam excepto sacerdote ritè dispositо ut ex sacris literis elicuit doctissimus *Maimonides Portâ Mosis* (*b*) præf. in *Seder Tzebachim.* Qui etiam mos apud *Persas* invaluit, ut nullum sacrificium sine *Mago* perageretur.

(*b*)Pag.284.

Varios autem ritus quibus in offerendis sacrificiis usi sunt nemo nos melius docebit quam (*c*) *Plinius* qui ita particulatim refert, *Omnia sanantem appellantes suo vocabulo, sacrificiis, epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris Tauros, quorum cornua tum primum vinciantur. Sacerdos candidâ veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago, tum deinde victimas immolant precantes, ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantes, contraque venena omnia esse remedio.* Per *omnia sanantem* quem illi invocabant intelligit doctissimus *Seldenus Apollinem* hic loci sub nomine *Belini, Beleni, Abellionis* seu *Belatucadri* cultum, ut antiquæ testantur inscriptiones apud (*d*) *Cambdenum* & *Gruterum.* Hujus nomine clara vestigia, in *Cassibelino,* & *Cunobelino.* *Beli-*

(*c*) *Hist.nat.* lib.16.c.44.

(*d*)Wardaliæ *in* Cumbriâ

num esse epithetum *Apollinis* inscriptiones diversarum ararum in *Aquileia* satis evincunt. *Herodianus* lib. 8. historiæ de *Deo Aquilegiensium* Βέλιν δὲ καλοῦσι, τοῦτον σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. Sed & *Apollinem* post *Mercurium* maximè à *Britannis* cultum expressè dicit *Cæsar*, qui utinam nobis *Britannica* nomina conservasset. (*f*) *Lucanus* tamen hoc damnum ex parte resarcivit

(*e*) Gruter. inscript. p. 36, 37.

(*f*) Lib. 1.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Ex illo *Lactantius divin. Instit.* lib. 1. cap. 21. *Galli Esum & Thentatem humano cruore placabant.* Et *Teutates* idem est ac *Mercurius* * quem juxta

* *Tertullianus* in Apologet. cap. 9. *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam usque ad proconsulatum Tiberii*, &c. *major ætas apud Gallos Mercurio prosecabatur.*

Cæsarem

Cæsarem maximè colebant, hujus sunt plurima simulachra, hunc omnium inventorem artium ferunt, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. *Platoni* ſanè in *Phædro* & *Philebo* *Mercurius* dicitur *Theuth.* Huic affine nomen eſt *Ægyptiacum* Φθὰς quo Vulcanus appellatur. Suidas Φθὰς ὁ Ἥφαιστος παρὰ Μεμφίταις. *Alexandrini* Thoth, ſic **Eratoſthenes* in *expoſitione nominum Regum Ægyptiacorum*, Χωμαιφθὰ κόσμος φιλήφαιστος. Ita *Memphitæ* appellant *Vulcanum*, at *Alexandrini* *Toth* *Mercurium*, hodiè *Coptitis* commune Dei nomen eſt. Utrumque originis *Græcæ* omninò veriſimile videtur, utpote à Θεὸς ob magnam affinitatem deducendum, adeoque à *Teutate* noſtro diſtingui debet, qui à linguâ *Britannicâ* nomen habet, & optimè quidem ſc. *Diw Taith* itineris Deus quod etymon cum veterum de *Mercurio* commentis maximè convenit. Meminit etiam (g) *Livius* *Teutatis Mercurii* ſed hoc nomine tumulum quendam in *Hiſpaniâ* appellatum ait. Quod ſatis evincit *Teutatem* non eſſe eundem cum *Tuiſcone Germanorum* utpote qui *Mars* erat,

* *Apud* Euſeb. *Chron.* p. 18. & *ejus exſcriptorem* Georg. Syncellum *p.* 91. *ſic* Eratoſthenes *interpretatur* τὸ Ἀθω'θης *per* τὸ Ἑρμογένης

(g) *Hiſt.* l. 26.

erat, unde diem illius cultui sacrum Tuesday hodiè nuncupamus.

Hesi seu *Esi* nomine quodnam numen indigetatur non certò constat, ; Qui *Anubim* latrantem quasi formâ caninâ pingeretur à *Britannico Huad* canis volunt, tam incertâ conjecturâ vix satisfaciunt iis qui tale numen apud *Britannos* cultum fuisse nunquam concedent. Neque illud in censu Deorum recenset *Cæsar*.

De *Tarane* seu *Tharane* tutò licebit pronuntiare eo nomine *Jovem* intellectum. *Taran* enim *Britannicè* denotat *tonitru* inde *Taranes* Ζεῦς βροντῶν. *Dies Jovis* hodiè dictus Thursday olim *Thonderdach* i. e. *Tonantis* dies in quo præcipuè colebatur hoc fictitium numen. Sed de *Britannorum* Dis hæc breviter καὶ ὡς ἐν τύπῳ dicta sunto.

Ulterius provecta erat hæc *Druidarum* religio diræ immanitatis ut appellat *Suetonius* in *Claudio* cap. XLV ad usque ἀνθρωποθυσίαν seu immolationem hominum, utpote qui humano sanguine irata numina facilius placanda impiè crediderunt. Hunc impiissimum morem quo jura humanitatis pessimè violantur eleganter

ganter describit *Cæsar*, *Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam causam qui sunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vovent, administrisque ad ea sacrificia Druidibus utuntur, quod pro vitâ hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen placari arbitrantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sacrificia, alii immani magnitudine simulacbra habent, quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent, quibus succensis circumventi flammâ exanimantur homines.* (*h*) *Diodorus Siculus*, Ἄνθρωπον κατασπείσαντες τύπτουσι μαχαίρᾳ, κατὰ τὸν ὑπὲρ τὸ διάφραγμα τόπον, καὶ πεσόντος τοῦ πληγέντος ἐκ τῆς πτώσεως καὶ τοῦ σπαραγμοῦ τῶν μελῶν ἔτι δὲ τῆς τοῦ αἵματος ῥύσεως τὸ μέλλον νοοῦσι. Sic *Strabo Geogr.* lib. 4. p. 136. *Pomponius Mela. Gentes superbæ, superstitiosæ, aliquando etiam immanes adeo ut hominem opimam & gratissimam Diis victimam crederent, manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab ultimis cædibus temperent, ita nihilominus ubi devotas altaribus admovêre delibant.* (*i*) Plinius de *Druidis*

(*h*) *Bibl. hist.* l. 5. p. 213.

(*i*) *Nat. hist.* lib. 30. cap. 1

idis Britannorum quos sustulit *Tiberius Cæsar*, non satis æstimari potest quantum *Romanis* debeatur, qui sustulêre monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi verò etiam saluberrimum. *Solinus*, *Galli detestabili sacrorum ritu, non ad honorem sed potius injuriam religionis, humanis litabant sacris*. *Tacitus Annalium* lib. 14. *excisi luci sævis superstitionibus sacri, nam cruore captivo adolere aras & hominum fibris consulere Deos fas habebant*. Si verò hostes captivos non haberent, in sontes propriæ gentis hoc immani supplicii genere animadvertebant illos qui furti, latrociniorum aut alicujus criminis rei erant Dis in placamentum iræ impiè devoventes. Horum autem penuriâ innocentia ipsa passa est illorum ultimam rabiem ac furorem. Ad sacrificium raptantur innocentes, quos sors capitalis ad hanc exquisitissimam pœnam damnabat, neque filiis ac filiabus parcendum esse judicabant ab omni humanitatis specie alieni, quia eorum sanguine Deorum aras polluebant supra omnem barbariei modum, quò iram numinis offensi, majori successu averruncarent. *Supplicia eorum* (verba *Cæsaris*

Cæsaris sunt) *qui in furto aut latrocinio aut aliquâ noxa sint comprehensi gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur, sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.*

Hanc barbaram ἀνθρωποθυσίας feritatem gravi execrantur odio politiores *Romani* quorum mentes studium ac amor humanitatis aliquantillùm tetigêre, quam tamen apud eosdem ultimis etiam temporibus, queis literarum studia ad ἀκμὴν pervenisse videbantur inolevisse satis testatam facit *Antiquitas.* Hi enim *Jovi Latiari* homines immolabant. (*k*) *Tertullianus, ecce in illa religiosissima urbe Æneadarum piorum est Jupiter quidam, quem ludis suis humano prœluunt sanguine.* (*l*) *Lactantius. Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt, siquidem Latialis Jupiter etiamnum sanguine colitur humano.* (*m*) *Athanasius,* καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον. Imò quod prodigio simile videbitur, hanc impiam consuetudinem ad sua usque tempora tanquam notissimam remanere expressè asserit (*n*) *Porphyrius,* Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς

(*k*) *Apol.* cap. 9.

(*l*) *Divin. Instit.* l. 1. c. 21.

(*m*) *Orat. contra* Gentes

(*n*) Lib. 2. περὶ ἀποχ. sect. 56.

Διὸς

Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον, i. e. *Sed & hodie quis nescit in magnâ urbe Româ* ut optimè explicationis causâ interserit interpres) *Latialis Jovis Festo hominem mactatum esse?* Cum tamen juxta (o) *Plinium* DCLVII anno urbis *Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. Senatus consultum* factum est, ne homo immolaretur palamque in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Si ad antiquiora respiciamus tempora, intuebimur alias gentes eadem feritate ejusmodi diris sacris initiatas fuisse. Hisce impiis ritibus *Saturnum* colebant *Phœnices. Athanasius* Φοίνικες ᾗ ϗ Κρῆτες τὸ Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοθυσίαις αὐτῶν ἱλάσκοντο. *Tertullianus, Infantes penes Africam* (ubi scil. *Phœnices* propriis laribus expulsi amplâ coloniarum diductione habitarunt) *Saturno immolabantur palam usque ad Proconsulatum Tiberii qui ipsos sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbraticibus scelerum, votivis crucibus exposuit, teste militiâ patriæ nostræ, quæ idipsum munus illi Proconsuli functa est.* (p) ~~*Posten-*~~*Pinius Festus* in libris historiarum per satyram refert, *Carthaginienses* Saturno humanas hostias solitos immolare, & cum victi

(o) *Nat. hist.* l.30. c.1.

Loco citato

(p) *Apud* Lact. *divin. instit.* l.1. c.21

victi essent ab *Agathocle rege Siculorum*, iratum sibi *Deum* putavisse, itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse. *Porphyrius* Φοίνικες δὲ ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς, ἢ πολέμων ἢ αὐχμῶν ἢ λοιμῶν ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ. *Ennius* de *Pœnis* apud *Nonium Marcellum*

> *Ille suos Divis mos sacrifucare puellos.*

Hujusmodi exemplis plenam esse historiam *Phœniciam* quam *Phœniciâ* linguâ scripsit *Sanchoniathon* & octo libris *Græcè* interpretatus est *Philo Byblienſis*, monet idem *Porphyrius*. *Cretes* itidem *Saturnum* cruentis sacrificiis demulcebant. (r) *Istrus* in collectione sacrificiorum *Cretensium* ait τοὺς Κουρῆτας τὸ παλαιὸν τῷ Κρόνῳ θύειν παῖδας. *Rhodii* item, qui in illius honorem sexto die *Metagitnionis* hominem immolabant. *Græci* non minus hisce sanguinolentis hostiis gaudebant, quos *Phylarchus* dicit, κοινῶς πάντας τοὺς Ἕλληνας πρὶν ἐπὶ πολεμίους ἐξιέναι ἀνθρωποκτονεῖν Græcos communitèr solitos fuisse, antequam ad bellum exirent, homines immolare

(r) *Apud* Porphyr. l. 2. sect. 56.

Sect. 56.

lare, uti alii post partam victoriam centesimum quemque *Marti* sacrificarunt. *Athanasius* Ἄλλοι δὲ τῷ Ἄρει ἐπειδὰν ἐκ πολέμων ἐπανέλθωσι, καὶ νίκας φέρωσι τὸ τηνικαῦτα εἰς ἑκατοντάδας διελόντες τοὺς ληφθέντας, καὶ ἀφ' ἑκάστης ἕνα λαμβάνοντες, τοσούτους κατασφάττουσιν, ὅσως ἂν κατὰ μίαν ἑκατοντάδα ἐκλέξωνται Hos *Lacademonios* fuisse ex (ſ) *Apollodoro* facilè licet conjectari. Quod de *Tauris* narratur planè horrendum est. *Lactantius*, *Erat lex apud Tauros inhumanam & feram gentem, uti Dianæ hospites immolarentur, & id sacrificium multis temporibus celebratum est.* (t) Athanasius Σκύθαι οἱ καλούμενοι Ταύριοι τῇ παρ' αὐτοῖς Παρθένῳ καλουμένῃ τοὺς ἀπὸ ναυαγίων, καὶ ὅσους ἂν λάβωσι τῶν Ἑλλήνων εἰς θυσίαν ἀναφέρουσι· τοσοῦτον ἀσεβοῦντες κατὰ τῶν ὁμογενῶν ἀνθρώπων, καὶ οὕτως ἐλέγχοντες τῶν θεῶν αὐτῶν τὴν ὠμότητα, ὅτι οὓς ἡ πρόνοια ἀπὸ θαλάσσης ἐκ κινδύνων διεσώσε τούτους αὐτοὶ κατασφάττουσι, μονονουχὶ κατὰ τῆς προνοίας γινόμενοι, ὅτι τὴν ἐκείνης εὐεργεσίαν τῇ ἑαυτῶν θηριώδει ψυχῇ καταχεύουσιν. *Jovi* homines litabant *Cyprii*. *Lactantius*, *Apud Cyprios humanam hostiam Jovi Teucrus immolavit. Idque sacrificium posteris tradidit, quod est nuper Hadriano Imperante*

(ſ) *Apud* Porphyr, l.2. sect.55.

(t) Orât. contra Gentes. p.27.

rante sublatum. Quod etiam è *Pallantis* collectaneis de *mysteriis Mythræ* observavit (*u*) *Porphyrius.* Similiter alii apud quos humanarũ hostiarum mactationes in usu erant. Nec tantum tempore belli aut grassantis pestis homines immolabant, sed juxta(*x*)*Porphyrium*, κτ̀ περίοδον τ̃ τȣ̃ νομίμȣ χάριν μνήμης, ἐμφύλιον αἷμα ῥαίνουσι περὶ τοὺς βωμοὺς, *Statis temporis circuitibus in memoriam istius sacrificii legibus constituti, contribulium sanguine aras respergere solebant.* Heu quàm tragicum sonat illud *Lucretii* Epiphonema

(*u*) Lib. 2. sect. 56.

(x) Lib. 2. sect. 27.

> *Tantum Relligio potuit suadere malorum!*

Sed infinitum esset omnia exempla tam nefarii cultûs, quo suos *Divos* demulcebant idololatræ præsertim *Ægyptii*, huc coacervare. Ut jam nihil impræsentiarum referam de lanienis, vivi comburiis, crucibus, aliisque exquisitissimis pœnis, quas miserè experti sunt *Christiani*; à *Nerone* ad usque *Constantini* felicia tempora (cujus natalibus meritò gloriatur *Britannia* nostra quicquid in contrarium oggannit *Graculus* quidam scriptor, sequioris

quioris ævi) qui ab hisce idololatris ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου, καὶ πάντων περίψημα (huc enim ab *Apostolo* allusum est 1 *Cor.* iv. 13.) habiti erant i. e. sacra capita devota, ac destinata mactationi ad Deos averruncandos. Unicum citabo Tertullianum Apologet. cap. XL. *E contrario illis nomen factionis accomodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant qui adversum sanguinem innocentium conclamant prætexentes sanè ad odii defensionẽ illam quoque vanitatem, quod existiment omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causam. Si Tiberis ascendit ad mœnia, si Nilus non ascendet in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leones.*

CAP. VII.

Ἀνθρωποθυσίας & ὑιοθυσίας origo. De Abrahamo Isaacum immolaturo. Aries vice ejus oblatus. Historia hujus immolationis Ethnicis non incognita. De voto Jepthæ, quem recentiores Judæi filiam immolasse negant, & de perpetuâ virginitate exponunt. Illum eam in holocaustum obtulisse probatur. Jepthæ filia à Samaritis culta. Festum ejus honori dedicatum. Figmentum Judæorum de superbiâ Jeptha & Philneasi, & de utriusque morte. De Molocho. Filios non tantum igne lustrabant, sed comburebant Ammonitæ. Molochi figura, ex ære conficiebatur. An Moloch esset Saturnus vel Mars. Ἀνθρωποθυσία *temporibus Busiridis longè antiquior.*

DE origine hujus nefarii ac impii cultûs à proposito non erit omninò alienum, si strictè ac compendiò agamus.

Diabolus simia Dei à quibusdam Theologis non malè appellatur, qui iisdem vel saltèm pauculùm mutatis ritibus, queis Deus colitur, coli petit. Altaria, templa, sacrificia à gentibus illi olim dedicata, uti vero ac ~~vetustissimo~~ Numini ab *Israelitis*. Neque quicquid cæremoniarum Dei jussu peragendum erat, quod præstigiis Diaboli in ipsius honorem non imitati sunt, vel saltem depravârunt idololatræ. Quod hujus ἀνθρωποθυσίας & ὑοθυσίας origo evidentissimè demonstrabit.

Deum *Abrahamo* fidei ac obedientiæ explorandæ causâ injunxisse sacræ literæ testantur, ut filium suum unigenitum, ac perdilectum *Isaacum* in sacrificium propriis manibus offerret, sine morâ properat ad montem *Moriam* ver. 2. (& non in montem *Nebo*, ut hallucinatur *Gregorius Abul-Pharagius*, qui extra terram sanctam situs est) pientissimus senex illud peracturus. Quibuslibet quæ ad immolationem requirebantur peractis, lignis altari impositis, illoque fune colligato, manus elevata ab Angelo cohibita erat, ne fatali ictu collum percuteret, & vicem filii immolandi benè supplebat aries vepreto

Gen. xxii.

P.21.

preto detentus quem *Judæi* aiunt creatum ביני שמשתא דשכלול עלמא inter vesperas fundationis mundi. Sic *Jonathan Pseudo-Uzielides* in *Targum*, Gen.xxii.17. & *Massecheth Pirke Aboth* cap. 5. sect. 6. hoc est ut explicat (*a*) *Lipmannus* à Deo ante creationem mundi huic fini destinatum. Historiam hanc in Alcoranum transtulit impurissimus ille Impostor *Mohammed*, quam more solito colloquio adauxit, huic purpuræ lacerum pannum attexens. Surat. 37.

(a) Seph. Niz sect. 3. p. 7.

قال يا بني اني اري في المنام اني اذ بحك وانظر ما ذا تري قال يا ابت افعل ما تومر ستجدني ان شاء الله من الصابرين

Dixit (*Abraham*) *Fili, vidi in somnio quod te sim sacrificaturus, & observa quicquid vides, dixit illi, O Pater, Tu verò observa quod Tibi in*

mandatis datur, invenies enim me esse è numero eorum qui patientèr ferunt quicquid vult Deus.

Quoto ætatis *Isaaci* anno hoc accidebat, è *Judæorum* monumentis obſervare cuiquam licebit. In *Seder-Olim Rabba* ſeu Chronico *Judæorum* Antiquiſſimò quod continet Chronologiam à creatione mundi ad tempora *Adriani Imperatoris* narratur, illum quando ſuper altare ligatus erat trigeſimum ſeptimum annum attigiſſe, cui non refragabitur *Jonathan* in ſuâ *Paraphraſi* Gen. xxii. v. 1. ſi de XXXVI annis completè exactis intelligatur. Quam traditionem *Judaicam* tanquam veriſſimam olim amplexus eſt (*b*) *Eutychius Patriarcha Alexandrinus*, eamque hoc modo è ſacris literis demonſtrare & ſtabilire conatur وان قال قايل فما الدليل *Quod si dixerit quis, quomodo probatur Isaacum annos triginta ſeptem habuiſſe, cum ipſum mactare in animo habuit pater ipſius? regeretur illi, peperiſſe ipſum matrem Saram jam nonagenariam, ipſam autem audito Abrahamum Iſaacum filium ſuum aſſumptum*

Cap. 1.

(*b*) Ann. Alex. p. 67.

assumptum in montem sustulisse, ut eum immolaret, magnâ affectam tristitiâ, & præ doloris quem concepit vehementiâ in morbum incidisse, ex quo mortua est, annos nata centum viginti septem; necesse est ergo fuisse tunc temporis Isaaco annos triginta septem. Sed probationem ignoti per ignotius vix admittunt *Logicorum* filii. Fundamentum autem quo nituntur fides ac veritas, hujusce demonstrationis chronologicæ est æquè instabile, ac vanum, & omni solidâ ratione destitutum. Deinde illum ad hunc annorum numerum pervenisse neutiquam verisimile videtur, quum bis vel ter הנער appellatur, i. e. puer; pueritiam verò ferè ad quadragesimum annum extendi debere nemo sui compos cogitabit.

Ad mentem ergo sacrarum literarum proprius accedit (c) *Gregorius Abul-Pharagius* qui eum tunc temporis novemdecim annos natum asserit, sed de istiusmodi conjecturis quæ tantâ incertitudine proponuntur non est quod quisquam nimium sit sollicitus.

(c) [*Hist.* Dynast. p. 21.

Ex hoc apparatu malè intellecto, quem ne in actum reduceretur vetuit divina bonitas, origo immolationis puerorum

petenda eſt. Quod extra omnem dubitationis aleam ponit *Porphyrius* ex antiquiſſimis *Phœnicum Archivis* apud *Euſebium Præpar. Evang.* lib. I. cap. 9. cujus diligentiæ hoc præſtantiſſimum *Antiquitatis* fragmentum debemus. Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων, ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς, τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι. Κατεσφάττοντο δὲ οἱ διδόμενοι μυστικῶς. Κρόνος τοίνυν ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας, καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης, Ἀνωβρὲτ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος κατέθυσεν. Ubi licet hiſtoria immolationis miſerè ſit depravata, aliaque cauſa facti quod *Abrahami* nomine ſuppreſſo, *Saturno* attribuitur, aſſignata, planiſſimè tamen per τὸ Ἰεοὺδ innuitur *Iſaacus*, i. e. יחיד μονογενὴς Gen. xxii. 2. ut præclarè admodùm annotavit doctiſſimus (*d*) *Scaliger*. Nec deſunt alia

(*d*) *Not. in fragm. Vet.* Græcor *p.* 48

alia exempla, queis ad hanc immanem religionem ſtabiliendam abuſi ſunt idololatræ, qui quoſlibetcunque ritus ſive licitos ſive illicitos ac penitùs damnandos, non totius gentis tantum, ſed & unius impia praxi commendatos, imperfectâ traditione avidè arripientes, eoſdem ſibi licere putarunt.

Sine ulteriori circuitu id de crudeli *Jepthæ* facto intelligi velim, quem illiciti voti præpoſtera religio adeò tenebat, ut humanitatis oblitus, filiam unicam obviam ei euntem pio officio victoriam nuper partam gratulandi, in holocauſtum immolaret. Non eſt quod quiſquam hîc expectet ſtrictum ac accuratum quarumlibet circumſtantiarum examen, nempe de naturâ voti anathematis, an homo cui ita vovetur, jure interfici poſſit, vel an tale votum habeat aliquod fundamentum in iſta lege *Moſaicâ* Levit. xxvii. 28? de quâ conſulendi ſunt *Judæi* commentatores, præſertim *Abarbinel*, vel an ita eſſent filii in poteſtate parentum, ut quâvis de cauſâ eis liceret illos neci devovere, quod non nemo ſuſpicatur. Nos hiſce ſubtilibus apicibus omiſſis, ſumma rerum capita colligemus, *de ma-*

teriâ

teriâ facti, ut loquuntur, ſolummodi ſolliciti. Recentiores *Judæi* talem immolationem factam fuiſſe negant, ideoque votum, (quod ſub eâdem, quâ conceptum erat, ratione ſolutum indicat ſacer textus, nec quiſquam unquam diffiteri auſus eſt) faventiori ſenſu interpretantur, non de re qualibet quæ illi erat occurſura, immolandâ, ſed de idoneâ ac convenienti, ac de eâ, quæ in holocauſtum vetabat lex, in ſacrum uſum devovendâ ac conſecrandâ ; quaſi eſſent duæ

Jud. xi. 33. explicitæ partes voti. Ideò *Kimchius* Pater τῷ ו in והעליתיהו pro particulâ disjunctivâ או *aut*, *ſive* poni contendit, (quod neutiquam rarum eſt in S. Textu ut המכה אביו ואמו *quicunque percutit Patrem & Matrem*, i. e. *aut matrem*) juxta quem ſenſus voti ita concipiendus eſt יהיה ליי' הקדש אם אינו ראוי לעולה או העליתיהו עולה אם ראוי לעולה *Erit illud ſanctum Domino, ſi non idoneum ſit ut ſacrificetur, vel illud in holocauſtum offeram ſi ſit conveniens.* Fuſiùs verò ad eundem ſcopum collimans *R. Levi Gerſomides*

mides ואם היה ממין האדם יהיה ליי' ויהיה מיוחד לעבודת השי' ואם יהיה זכר לא יצטרך שיהיה פרוש מן האשה *Si illud* (quod occurrit) *sit de specie humanâ erit sanctum Domino* h. e. *devotum ipsius cultui. Si verò sit mas, non opus erit hac separatione à fœminâ* quia scil. absque hâc devotus Deo esse possit, uti *Sacerdotes* & *Levitæ* אמנם אם היתה אשה יחוייב שתהיה פרושה מאיש *at si sit fœmina, necessario sequitur illam separandam à viro in cultum scil. Dei, quod de uxoribus dici vix possit.* R. Samuel Laniado priora verba explicat per modum conditionis כשיהיה ליי' ר"ל דבר ראוי לה' ר"ל ולא טמא או והעליתיהו *Quando erit Domino res nempe digna & non immunda, tum illam offeram.*

(e) *Keli Sakar* fol. 101. a. 2.

Summa ergò voti ab his ita limitati quatenus nimirum filiam occurrentem respicit, erit de indicendâ perpetuâ virginitate

ginitate. Quem in finem ut illud votum debito modo impleret *Jeptha*, ait *Kimchi* שעשה הבית והכניסה שם והיתה שם פרושה מבני אדם ומדרכי העולם והיה חק בישראל כי משנה לשנה היו הולכות אליה בנות ישראל *illum fecisse domunculam eamque illuc introduxisse, ubi seclusa erat à filiis hominum ac consuetudinibus mundi. Inde statutum erat inter Israelitas, ut filiæ eorum illuc visitatum irent*, vel ut statim planius addit לקונן ולבכות על בתוליה עמה או פי' לתנות להשיחה ולנחמה ארבעה ימים כי כל שנה היתה מתבודדת כמו האנשים הפרושים והסגורים בבתים *ad flendum & lamentandum super virginitate ejus* vel לתנות *possit explicari ad confabulandum & ad consolandum eam quatuor diebus, nam per totum annum mansit solitaria instar reclusorum & monachorum in suis monasteriis.* Figmentum hoc de domo exstructâ quâ

sola

ſola viveret, etiam repetit *Gerſomides*, aliique quos ſequitur *Lyra* qui illam dedicatam cuidam ſpeciali miniſterio aſſerit, ut perpetuam ſervaret virginitatem.

Sic *Judæi* ſequioris ævi fortiſſimi illius Ducis famæ conſultum iverunt conjecturis parum firmis & ſanis, contra literam S. Scripturæ, quæ votum indeterminatè ſine ullà tali reſtrictione factum expreſſè narrat, quod tam res quam perſonas ſuo ambitu benè amplecti poſſet, etſi LXX *Interpretes* reddendo והיה היוצא nimis anguſtè καὶ ἔσται ὁ ἐκπορευόμενος & Vulgatus Latinus Interpres *Quicunque primus fuerit egreſſus* ad ſolas perſonas referre videantur, cum tamen reddendum ſit ad verbum *Quodcunque erit egrediens.* Si enim talem voti tantà religione prolati ſenſum mente reſervaſſet, filiâ viſâ non tanto gemitu, tantoque fletu de ſortis ſuæ infelicitate hoc flebili caſu ſuperventuræ exclamaſſet. Nec *Jud.* xi. 37. votum quo illam ad perpetuam virginitatem ſervandam obſtrinxit tot mæſtiſſimas querelas ac dolores ſuppeditaſſet. Deinde ſi perpetuo virginitatis ſtatu manſura eſſet, fruſtra petierat duorum menſium intervallum quo hoc triſte fa-

tum

tum defleret, cum tota vitæ solitariæ futuræ conditio abundè satis suffectura esset. Denique si non immolata esset, quare tantus luctus apud Israelitidas, isque solenni modo quater singulis annis peractus, non quasi ad libitum ad obsequium defunctæ puellæ testandum; sed decreto quod amorem in debitum officium convertebat, stabilitus. לתנות enim ita reddendum esse non solum evincunt LXX & *Jonathan Uzielides* quorum illi interpretantur per τὸ θρηνεῖν hic per לאלאה quibus astipulantur Interpretes *Syrus* & *Arabs*, ac omnes ferè *Rabbini* (etsi sensu alio fletum nimirum hunc ad virginitatem solam referendo) sed ipsa notatio vocabuli quatenus ἀπὸ τοῦ תנין (cujus plurale masculinum etiam legitur תנים & *Chaldaicâ* formâ תנין & fœmininum תנות) *draco*, cui attribuitur vox flebilis, *Mica* cap. i. v. 8. אעשה מספד כתנים *faciam planctum sicut Dracones*. Quod festum in illius honorem Samaritas idololatras retinuisse, usque ad sua tempora testatur *Epiphanius* hær. LV quæ est *Melchisedecianorum* sect. 1. ἐν τῇ Σεβαστῇ τῇ πότε Σαμαρείᾳ καλουμένῃ, τὴν θυγατέρα Ἰεφθάε θεοποιήσαντες

P. 469.

ἐπὶ ταύτην τελετὴν κατ᾽ ἔτος ἄγουσιν. Quem impium cultũ etiam repetit hær. LXXVIII quæ est *Antidicomarianitarum* sect. 23. ἐν γὰρ Σικίμοις τουτέστιν ἐν τῇ νυνὶ Νεαπόλει, θυσίας οἱ ἐπιχώριοι τελοῦσι εἰς ὄνομα τῆς Κόρης δῆθεν ἐκ προφάσεως τῆς θυγατρὸς Ἰεφθάε, τῆς ποτὲ προσενεχθείσης τῷ θεῷ εἰς θυσίαν. Hoc festum si (e) *Entychio* credendum sit appellatur عيد نوح *Festum Planctû*. Quæ verò hic de *Festo* dicuntur, etsi à solenni mulierum apud immolatæ puellæ sepulchrum conventu justè deduci possint; illos tamen חק & חג quod *Festum* denotat, similitudine vocum deceptos confudisse potius conjectamur.

(f) An. Alex. p. 133.

Si verò antiquos tam *Rabbinos* quam *Patres* Ecclesiæ *Christianæ* consulamus, omnes votum illud de verâ & propriâ immolatione intellexisse facilè inveniemus. Quod ad illos spectat, *Abarbinel* fatetur סברת חז"ל שיפתח הקריב את בתו עולה ממש *opinionem sapientum b. m. fuisse, quod verè & realiter Jeptha filiam suam in holocaustum offeret.* Jonathanis in Targum Judic. cap.

cap. xi. v. 39. הוית לנוידא בישראל תוספת בדיל דלא לאסקא גבר ית בריה וית ברתיה לעלתא כמא דעבד יפתח גלעדאה *Erat in decretum in Israele. Additamentum, scil. ut non ascendere faciat homo filium suum aut filiam suam in holocaustum, sicut fecit Jeptha Gileadita.* (g) *Gregorius Abul-Pharagius* عند عام المدة ضحي بها ضحية بموجب نذره اليمكروه *ipsum in sacrificium secundum votum suum illicitum obtulit.* (h) *Eutychius* وبعد شهرين عمل يفتاح لليهود عيدا عظيما وذبح ابنته في ذلك اليوم *Duos post menses constituens Jeptha Judae-*

(g)] *Hist.* Dyn.p.133.

(h)An.Alex. p.133.

ii

is festum magnum, eodem die filiam suam immolavit, festumque illud Festum planctus appellavit. *Josephus Antiquit. Judaic.* lib. 5. cap. 9. συγχωρήσας δὲ κατὰ τὸν προειρημένον χρόνον, μετὰ τοῦτον διελθόντα θύσας τὴν παῖδα ὡλοκαύτωσεν, οὔτε νόμιμον, οὔτε τῷ Θεῷ κεχαρισμένην θυσίαν ἐπιτελῶν, μὴ διαβασανίσας τῷ λογισμῷ τὸ γεννησόμενον οἷον τὸ πραχθὲν δόξει τοῖς ἀκούσασι. *Hieronymus Vovendo fuit indiscretus, & reddendo fuit, impius.* Theodoretus. Ἀνόητος ἄγαν ἡ τοῦ Ἰεφθάε ὑπόσχεσις· ἔδει γὰρ αὐτὸν συνιδεῖν ὡς εἰκὸς, κύνα πρῶτον ἢ ὄνον συναντῆσαι, τὰ κατὰ τὸν νόμον ἀκάθαρτα· παιδεύων τοίνυν δι' ἐκείνου τοὺς ἄλλους, ὁ δεσπότης Θεὸς, ὥστε μετὰ συνέσεώς τε καὶ γνώσεως ποιεῖσθαι τὰς ὑποσχέσεις οὐκ ἐκώλυσε τὴν σφαγήν. (i) Quæst. 20 in *Judic.* Hinc *Talmudici* in *Massecheth Taanith* aiunt שהוא אחד משלשה ששאלו שלא כהוגן *quod unus erat è tribus qui vovebant ea quæ nequiquam decebant, seu quæ non erant juxta honestatem* (alludendo ad *Eleazarum Abrahami* œconomum, *Jeptham & Saul*, cui quartum addit *Rabba Bar Nachmoni* in *Beresith Rabba Parasha* LX *Calebum.*) Ratio sequitur, quia הורה אפשר שיצא כלב או חזיר *possibile*

eſſet ut canis vel porcus occurrerent, quæ animalia ob immunditiem immolari lex ſeverè prohibebat.

Proculdubio *Jeptha* hoc voto anathematis ſe obſtrictum putabat, præpoſtero zelo correptus, nec ſine violatione fidei *Deo* ſolennitèr datæ ab eo ſolvi potuiſſe. R. *Juchanan* ait רמין היה חייב illum ad hoc votum pretio redimendum omninò obligatum fuiſſe, quod negat *Reſh Lakiſh*. Utriuſque ſententiæ ſubtilitates è *Bereſith Rabba* exſcribere jam non vacat, utpote à propoſito noſtro nimis alienas.

Illud verò quod addunt eſt omninò frivolum, vanum, & in re tam ſeriâ nimium joculare, *Jeptham* nimirum ad *Phineaſum* ſacerdotem ſummum quem iſto tempore ſupereſſe fingunt, prætextu ſummæ poteſtatis, ne tantâ ſubmiſſione vileſceret, iviſſe dedignatum, quo à voto ſolvendo liberaretur; *Phineaſum* verò ſimili prætextu ſacerdotii quo fungebatur ab iſto itinere abſtinuiſſe, ſcil. *R. Solomon Jarchi*, *Lipmannus*, & *Eutychius* qui *Judaicis* fabulis nimis indulget,

(k) Seph. Niz. *num.* 163. p. 104. Ann. Alex. p. 130. 133.

وكانوا اصحاب يفتاح قد
اشاروا عليه ان يمضي الي
فنحاس النبي ابن العزار ابن
هرون لكي يساله لعله
يفتيه بما يتخلص به
ابنته فحمله عز الملك ان
لا نذهب اليه وفنحاس ايضا
حمله عز النبوة الا يجي
اليه

Jepththæ amici ipsi concilium dederunt, ut Phineasum Prophetam filium Eleazaris filii Aaronis ipsum consulturus adiret, qui ipsi forsan responsum daret, quo liberararetur ipsius filia. Movit autem ipsum Majestas Regia, ne illum

adiret

adiret, & Phineasum dignitas Prophetica, nedd ipsum accederet.

Utriusque superbiam justo Dei judicio graviter punitam aiunt, *Jeptham* nempè laborasse בכשילה אברים paralysi membrorum, vel juxta *Rashi* בשחין ulceribus, quia dicitur *illum sepultum fuisse in urbibus Gilead*, quasi singulæ civitates membra ejus sortitæ essent, cum talis synecdoche numeri in sacrâ scripturâ non infrequens est, *Phineasum* verò à summo sacerdotio exauctoratum fuisse & divinam præsentiam penitùs amisisse, quia scribitur 1 Paralipom. ix. 20. (ubi idem commentum repetunt) *Phineasum filium Eliazaris* fuisse supra illos, היה non verò הוא עליהם Cum tamen evidentèr patet istum *Phineasum* à summo sacerdote ejusdem nominis longè diversum esse. Sed quis præstabit *Phineasum* (si nihil absurdi inesset in isto figmento *Rabbinico* de utriusque arrogantiâ quæ mutuam salutationem non permitteret) adeò longævum fuisse (Ab ingressu enim in terram promissam quo tempore triginta annos compleverat *Phineasus* ad usque ævum quo *Jeptha* rerum potitus est, trecenti-

Judic. xi. 7.
עשין

centi anni intercessêre) quod neutiquam verisimile est. At solenne est apud *Judæos* fabularum architectos sacræ historiæ veritatem suis ridiculis glossematis, absurdisque assumentis penè corrumpere ac depravare sub prætextu vano illustrationis. Hisce omnibus simul positis, facilè memet persuaderi patior, *Jeptham* filiam suam è nimiâ religione quâ erga votum ferebatur, in holocaustum verè ac realitèr immolasse, indeque *Ethnicos* liberos suos Idolis sacrificandi ulteriorem occasionem nactos fuisse; quod ipsum de hoc exemplo verba habens clarè testatur *Epiphanius* hær. LXXVIII sect. 23. καὶ P. 1055. τοῖς ἠπατημένοις τοῦτο γέγονεν εἰς βλάβην εἰδωλολατρείας καὶ κενολατρείας. Quod forsan verissimè dici possit de *Agamemnone*, quem *Iphigeniam* filiam suam *Dianæ Aulidensi* immolasse, *Græci* scriptores uno ore asserunt. Sed de his hactenùs. Impiissimum τεκνοθυσίας exemplum dederunt *Ammonitæ*, qui hisce nefandis ritibus Idolum suum *Moloch* colebant, de quo post eruditissimum *Seldenum* qui omnia penè *Judaicæ Antiquitatis* fragmenta de colluvie *Deûm Syrorum* summâ curâ ac fide collegit, pauca tantum modo delibabimus

 Igneâ

Igneâ puerorum lustratione cultum hunc omninò consistere aliqui à *Rabbinis* statuêrunt. quasi soli inter duos rogos februationis causâ traducerentur. *R. Levi Gersomides* in 2 Reg. xxiii. 10. היה עשני שם בנין כדי העביר בנו ובתו באש למולך והיה אש מכאן ואש מכאן והכומרין מעבירים אותו בין שני אשים *Fecerunt ibi ædificium, ut traducerent filium suum & filiam suam per ignem Molocho, ex utraque parte accendebatur ignis, ad sacerdotum verò munia pertinebat per istos duos ignes illos traduxisse.* Sic *Maimonides Aboda Zara* cap. 6. sect. 5. & *More Nebochim* lib. 3. cap. 38.

Melius vero ii qui aiunt filios combustos & mactatos, quod sacer textus abundè satis testatur 2 *Reg.* xvii. 31. *Psal.* cvi. 37. *Jerem.* vii 31. A quâ parte stant *Rabbinorum* plurimi, inter quos *Kimchi* & *Solomon Jarchi*, quos tamen tanquam contrariæ sententiæ patronos non rectè citarunt viri eruditissimi. Quod ad figuram hujus *Idoli* spectat, *Kimchius* in 2 *Reg.* xxiii. 10. hæc è traditione veterum habet

habet נחון חלול צלם עשני היה עשף
לפנים משבעה קנקלים וכל מי
שמקריב סלת פותחין לו אחד
מהם תורין ובנות יונה פותחין
לו שנים כבש פותחין לו ג' איל
פותחין לו ד' עגל פותחין לו ה'
שור פותחין לו ו' וכן מי שהיה
מקריב בנו פותחין לו שבעה והיה
פניו של עגל וידיו פשוטות כאדם
שפותח ידיו מקבל מחברו והיו
מסיקים אותו באש והכומרים
נותלין את התינוק ונותין תוך ידיו
של מולך והתינוק מוציא נפשו

Erat Moloch imago concava, cui inerant septem conclavia, cuilibet offerenti similam ei recipienda unum aperiebant, turtures & columbas duo, ovem tria, arietem quatuor, vitulum quinque, bovem sex, quisquis verò filium offerebat ei septem aperiebant. Imago hæc vituli faciē gerebat, manus etiam extensas habuit, instar hominis qui manus exporrigit ad recipiendum

 aliquid

aliquid à proximo ſuo. Filium igni obtulerunt, quem ſacrificuli rapiunt & ponunt inter manus idoli, ubi animam exhalat
Imaginem ex ære confectam annotavit *Raſhi* ad Jer. vii. 31. הוא מולך ושהיה של נחשת ומסיקים אותו מתחתיו וידיו פשוטות וניסקות נותנים את הילד על ידיו והוא נכוה ונוהם והכומרים מקישים בטופים שלא ישמע קול הבן *Idolum illud Moloch eſt quod ex ære conflatur, à quo infantem eduxerunt: manus illius erant extenſæ & expanſæ, in quas illum conjiciunt, qui inter ejulandum comburitur. Sacerdotes verò tympana pulſabant, ne parens infantis vocem audiens commiſeratione afficeretur.*
P. 33. At ſimulachtum illud lapideum fuiſſe auro obductum teſtatur R *Benjamin* in ſuo itinerario, qui de idolo *Ammonitarum* quo *Moloch* ſatis innuitur hæc refert

שם מצאו מקום הבמה שהיא לבני עמון בימים ההם ושם שקוץ בני עמון יושב על קטרגא הנקרא

הנקרא כסא וחוא עשני מאבן ומצופה זהב ושתי נשים יושבות מימיני ומשמאלי מזה אחת ומזה אחת ומזבח לפניו שהיו מזבחים ומקטרין לפניו בזמן בני עמון

Hic reperta vestigia fani olim filiorum Ammon, cum idolo filiorum Ammon, quod solio sive throno insidebat, lapideo quidem sed obducto auro, cui ad dextram duæ adjungebantur mulieres, hinc una, inde altera; in ejus conspectu Altare, in quo coram ipso cum sacrificabant tum suffitum faciebant temporibus filiorum Ammon.

Sed forsan in hoc authore fidem meritò desiderabit curiosus Lector, cui ab omni veritatis specie abhorrere videbitur, imaginem spurcam per tot annorum decursum integram non absque veteri pompâ & gloriâ remansisse, præsertim cum sub *Assamonæorum* imperio, quorum pectora vero divini cultûs zelo flagrabant, tota terra ab istiusmodi inquinamentis satis purgata fuisset.

Sub quo nomine hoc Idolum à gentibus colebatur, inter eruditos controversum

sum est: Præstantissimus (*l*) *Seldenus* noster conjectatur *Saturnum* eundem esse cum *Molocho* tam ex horrendâ filiorum immolatione quâ illum placabant, quam ex ipso *Regis* nomine (*Moloch* autem significat *regem* vel ἄρχοντα juxta LXX *Levit.* xviii. 21. *Saturno* à *Græcis* scriptoribus frequentèr attributo.) At (*m*) *Kircherus* contendit *Molochum* esse *Martem*, qui aliquando cum *Typhone*, aliquando cum *Mithrâ* confunditur. Quod patet è fragmento commentarii *Coptici* in 7. cap. *Actor. Apostolic.* in Bibliothecâ *Vaticanâ*, quo Planetarum nomina recensentur, ubi *Mars* dicitur *Moloch* seu *Typhon Ægyptiorum* malus Genius, omnia destruens, dominus tonitrui & ignis & commotionis. Hæc de Marte intelligi debere ordo Planetarum ibi positus, qui idem hodiè retentus est satis evincit. Sic utraque sententia validis nixa firmamentis non facilè avellendis rectè admitti possit, cum non novum sit tam in Theologiâ Ethnicorum unum idemque numen diversis nominibus apud diversas gentes appellari, quam diversa numina ob eosdem ritus ac cæremonias miserè confundi. Sed de impiissimo *Molochi*

(*l*) *De* Dis. Syr. Synt. 1 cap. 6.

(*m*) Oedip. Ægypt. *synt.* 4. *cap.* 15. p. 331.

(*n*) Ling. Ægypt. *Restit.* cap. 3. p. 527. 528.

Molochi cultu satis. Quibus positis, ab hisce tribus exemplis horrendam istam ἀνθρωποθυσίαν ortum & incrementum habuisse vix erit qui denegabit.

Quod satis superque videbitur ad debellandam istam *Kircheri* sententiam, qui illam ad *Busiridis* ævum, quo fames *Ægyptum* invasit, quam prædixerat oraculum statim cessaturam si quotannis hominem Deo immolarent, refert ex *Aben-Ephio* quem utinam ille vel alius quispiam *Arabicè* edidisset (neque enim quis *Latinam* versionem ab eodem si modò viveret, faciendam desideraverit, qui illum in convertendis *Ebraicis*, *Arabicis*que in mille locis miserè labi ac falli recordatur. Quod dictum nollem in Viri fatis functi, cui *Geometria* cylindrum in perpetuam ejus memoriam erectura est, cujusque etiam nomen suavi cantu resonabit Musica) contumeliam. sed ne quis ejus authoritate nixus nimis quam oportet, in errores tanto nomine munitos abripiatur, qui pruritu vano omnia reducendi ad *Ægyptiacam* δεισιδαιμονίαν graviter laborabat.

CAP.

CAP. VIII.

De excommunicatione Druidum. Apud Judæos tres excommunicationis species. Niddui, Cherem, & Shammatha, Maranatha. שם *pro Deo,* ὄνομα *pro Christo. Maranatha Dominus venit, non Dominus noster. Murani. Maronita. Marita quilibet Apostolus dictus. B. Virgo Marat. i. Domina. Nomen etiam hoc iis qui pietatis ac eruditionis studiis inclaruere præfixum, Marnas Gazensium. Τῶν Mar & Maran etymon* מורה*. De titulo Domini.*

OMne authoritatis jus in inane nomen citò evanescit, & impietatis fit ludibrium, si eam impunè violare liceret. Ultricis pœnæ legum contemptoribus severè irrogandæ timor intra limites officii ne prorsus exuant humanitatē vel pessimos pro tempore saltem cohibebit. Ne ipse quidem virtutis amor blandis auspiciis tot allicit, quot vitia secuturæ miseriæ horror absterret. Frustra sanciuntur

ſanciuntur leges, fruſtra deciduntur lites, ſi nulla pœnalis obligatio ad faciendum judicatum aſtringat. Ne verò authoritas *Druidum* quos ſupra nos oſtendimus legum civilium interpretes fuiſſe, ſacrorumque rituum antiſtites tutò contemneretur, excommunicatio ſeu exterminatio è cultu ſacro in cauſâ erat, quam ſubibant, quotquot deciſionibus & judiciis illorum præfracto animo refragari auderent. Dum verò perſtiterint excommunicati ſacri habebantur, quibuſcum nemini licebat commercium exercere ſine ejuſmodi reatûs contagio, cum hiſce ne loqui audebant, ne minimùm quidem amoris aut juſtitiæ præſtandum erat, utpote impiis & extra tutelam & beneficium legum poſitis.

Neque ſic tantum cum privatis agebatur; ſi totus populus deliquerit, ipſius multitudo ab hoc diro Anathemate illum immunem præſtare non potuerit. Hoc quicquid eſt ſacræ authoritatis iis plenè aſcribit *Cæſar*, *Si quis aut privatus aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos eſt graviſſima, quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur*

ab

ab iis omnes decedunt, aditum eorum, sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. Hæc ille. Horum ſanè conditio miſerrima, uti excommunicatorum apud *Judæos*, à quibus proculdubio hic ritus emanabat, de quo nobis evidentiùs conſtabit, ſi in ipſius exemplar ſeu prototypum *Judaicam* nempè excommunicationem brevitèr inquiramus.

Tres autem fuêre ſpecies *excommunicationis* apud *Judæos* à ſe invicem diſtinctæ נדוי, חרם, שמתא, ut *Elias Levita* in ſuo *Tisbi* traditionem *πατροπαράδοτον* ſecutus rectè recenſet, & forma iſta, ſub cujus pœnâ literas reſignare interdixit *R. Levi Gerſomides* ſatis docet. Non me latet in *Talmude* נדוי & שמת non raro confundi, quod nullatenùs ſufficit ad tollendam iſtam diſtinctionem, quam *Judæi* propriè loquendo inter hoſce pœnæ gradus intercedere fatentur; neque in ipſo textu *Talmudico* deſunt quamplurima loca, ubi ea diverſimodè intelligi neceſſitas omninò poſtulabit. Tantum aberit, ut hæc trina excommunicatio ſit modernorum ut loquuntur, *Rabbinorum*

binorũ figmentũ, ut neſcio an aliqua conſuetudo ab hac pertinaci gente hodieque retenta, majorem & fideliorem ſaperet antiquitatem. De ſingulis ſpeciebus pauca dicere oportebit.

1. נדוי *Nidduï* i. e. ἀφορισμὸς, ſic enim rectè explicat *Elias Levita*, נדוי הוא לשון ריחוק ab *Iſa* lxvi. 5. שנאיכם מנדיכם *inimici veſtri arcent ſeu ſeparant vos* & à *Levit.* xx. 21. נדה הוא *mulier menſtruata ſeu res quæ à cœtu removetur donec purgata erat* המנודה; ſeu qui ſub hac excommunicationis ſpecie laborat, ab aliorum conſeſſu & congreſſu arcetur, nullum commercium ſeu ſocietatem cum uxore & liberis exercet ad intervallum quatuor cubitorum, à raſura vel tonſura crinium & lotione corporis in balneo excluſus, non tamen à conventu ſacro penitus detentus, quin precibus intereſſe liceret, & Templum ingredi, aliâ ſcil. viâ. *Middoth* cap. 2. ſect. 2. כל נכנסין להר בירת נכנסין דרך ימין ומקיפין ויוצא דרך שמאל חוץ ממי שארעו דבר שהוא מקיף לשמאל מה לך.

לך מקיף לשמאל שאני אבל השוכן בבית הזה ינחמך שאני מנדה השוכן בבית הזה יתן בלבם ויקרבוך דברי ר׳ מאיר אמר ר׳ יוסי עשיתן כאילו עבדי עליו את הדין אלא השוכן בבית הזה יתן בלבך ותשמע לדברי חבריך ויקרבוך

Qui ingrediebantur montem Domûs, ingrediebantur dextrorsum, circuibant ac egrediebantur sinistrorsum, excepto illo cui aliquid acciderat, qui circuibat sinistorsum. Interroganti quare ita circuis? respondet quia lugeo, cui ille, qui in hâc domo habitat te soletur, si dixerit quia sum excommunicatus, tum ille, qui in hâc domo habitat in illorum corda ponat ut te accedant, ita Meir; at R. Jose dixit vos fecistis quasi respectu ipsius judicium transgrederentur, quin (potius dicendum) qui in hâc domo habitat det in cor tuum, ut audias verba sociorum tuorum & accedant ad te. Durat hæc exclusio triginta dies; quibus finitis, excommunicatus si penitentiæ aliquod specimen dederit, absolvitur,

abſolvitur, ſin verò immorigerus perſtet, pœna duplicatur vel triplicatur pro ratione delicti, ſi nec tum reſipiſcat, Niddui in Cherem i. ſpeciem excommunicationis hâc graviorem mutatur, ſic (a) R. *Joſeph Karo* מי שישב בנדוי שלשים יום ולא בקש להתירו מנדים אותו שנית ישב שלשים יום אחרים ולא בקש להתירו מחרמים אותו *Quisquis manet in Niddui triginta dies, & ipſius ſolutionem non petit, eum iterum excommunicant triginta dies, quo ſpatio ſi non ſolvi ſupplicando laborat, eum anathematizant.* *Elias Levita* אר לא הידהשב היו מחרמים אותו

(a) *Shulchân Aruch part choſhen Miſpat.* ſect. 108.

Si quis verò excommunicatus moriatur, lapis feretro imponitur, quo ſignificatur illum ſi viveret dignum qui lapidibus obruatur, nullæ lachrymæ in illius funere abſque piaculo effundendæ, cadaver in in terram abſque funebri pompâ & comitatu ignominioſè conjectum.

2. חרם *Cherem*, quod benè exprimit *Græcum* ἀνάθεμα, ab omni con-

 ventu

ventu tam ſacro quam civili excommunicatum arcebant ſine termino præſcripto. Evangeliſtæ appellant ἀποσυναγωγόν. Cum tali ne edere quidem nec bibere licebat. Quo fortaſſè alludit Apoſtolus D. *Paulus* in *Judæorum* traditionibus verſatiſſimus 1 *Cor*. v. 11. Formula hujus horrendæ excommunicationis in conſpectu totius eccleſiæ publicari ſolitæ cum diris & imprecationibus, antiqua ſatis, quam tamen uſurpatam fuiſſe, dum templum ſtaret, non præſtabo, extat in celeberrimo *Lexico Talmudico Buxtorfii* in חרם, quo accuratiſſimè colligitur quicquid ferè ad jus Judæorum tam ſacrum quam civile pertinet. *Cab-*
In שמתא *balisticum* verò illud quod profert *Elias Levita* hujus maledictionis diritatem clarè indicat נקרא חרם שנכנס ברמ״ח אבריו *dicitur Cherem quia in ejus* CCXLVIII *membra ingrediatur.* Tantum enim valet *Cherem* literis ſuis in numeros reſolutis.

3 Ultima & graviſſima ſpecies appellatur שמתא *ſhammatha*, quæ conſiſtit in extremâ proſcriptione ab omni commercio & officio. Ejusmodi excommunicatum

municatum interficere tutò & impunè licebat, utpote coram *Deo* & hominibus execrabilem & prorsus indignum cui vita prorogetur. Hinc origo nominis juxta *Talmudicos* petenda. *Moed Katon* fol. 17. a. מאי שמתא אמר רב שם מיתה ושמואל אמר שממה תהא ומהניא ניה כי מיחיא ליה בתנורא *Quid est shammatha? dixit Rab, Sham mitha, ibi mors est, at R. Samuel dixit, shemama teha erit desolatio, quæ proderit ipsi, sicut pinguedo fornaci ardenti* Cl. *Seldenus* deducendum censet à שמת quod est *separare, abdicare.* Quod nullo modo concedendum est, quin potius è contra verbum à nomine derivari prout *Analogiæ* ratio apud *Rabbinos* frequentèr usurpata postulat, rectius (*b*) *Buxtorfius* & eruditissimus *Hammondus* τῦν ἐν ἁγίοις in doctissimo Tractatu de *Potestate Clavium*, qui hâc in re injustè vapulat à *Seldeno*, quem erga virum clarissimum ejus sententiam summâ modestiâ, quâ erat maximè præditus, refutantem acriorem quam par fuit se gessisse (salvo illius honore) meritò conqueramur.

(*b*) Epist. instit. *p.* 58.

Pag. 90,

De allusionibus *Talmudicis* non multò laborandum, quæ lusum & ingenium potius sapiunt quam veritatem, & strictum loquendi genus. Ignotum erit verum etymon, nisi dicamus Apostolum *Paulum* ad hanc tertiam excommunicationis speciem allusisse 1 *Cor*. xvi. 22. εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθά, & tum quo significatu utrumque nomen conveniat, facilè licebit derivare *shammatha* à שם *nomen* * quod κατ' ἐξοχὴν absque ullo addito ponitur pro *Tetragrammato*, & *Chaldaico* אתא *venit*. Idem enim valet *Maran atha* Syriacè *Dominus venit*. Neque Dagesh in *shammathâ* impediat, quo minus etymon sit verum, quippe quod inter pronuntiandum addi vel demi frequenter solet.

Verum τὸ Μαραναθὰ reddendum non

* ut in istâ formulâ jurisjurandi חי השם vivit nomen *i. e.* Deus, *& in istâ abbreviaturâ* אי״ה *quæ ponitur* אם ירצה השם si voluerit Deus, בעזרת השם auxilio Dei השם יתברך *benedictus sit Deus*. Quod è sacris literis deducunt Rabbini *Levit*. xxiv. 11.

est,

est, quod contendunt aliqui, *Dominus noster*, quasi *Nun* finale esset affixum primæ personæ pluralis. *Grammatica* ratio id fieri vix patitur. Si enim ita se haberet, duplici *Nun* afficiendum esset & ܡܪܢܢ legendũ. Dicimus ergo ܡܪܝ & ܡܪܢ utpote synonyma promiscuè usurpari, ut רב & רבן apud *Judæos*. *Philo* in *Flaccum* ἐξήχει βοὴν τις ἄτοπος Μάριν ἀποκαλούντων· οὕτως δέ φασιν τὸν Κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις. *Marin* seu *Maran* κύριος non κύριος ἡμῶν. Inde Reges in *Etruria* appellati *Murani* ut annotavit *Servius* in XII *Ænead.* Ineptiunt vero qui *blasphemavit* את השם *i. e.* Deum, & *Deut.* xxviii. 58. ut timeas nomen illud gloriosum & terribile, *i. e.* Dominum Deum tuum *ut statim additur* ἐπεξηγητικῶς. *Non tamen dissimulandum est* He ידיעה seu notificativum *huic præfigi solere, quod facillimè excidere possit in compositione. Sic* τὸ ὄνομα *pro Christi nomine apud Christianos olim usurpatum.* Ignatius *Epistolâ ad Ephesios dicit se ligatum* ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ ὀνόματος καὶ ἐλπίδος, *i. e. pro isto nomine, à quo omnes*

In initio.

(c) *Edit.* Voss. p. 21.

communitèr denominati erant Christiani, in eâdem εἰώθασι γὰρ τινὲς δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν (*Vetus Interpres redditnomen Christi circumportare,* τὸ Christi *explicationis causâ rectè additur, quod subintellexit* Ignatius) ἀλλά τινα πράττοντες ἀνάξια θεοῦ. *Quos rectissimè conjectatur eruditissimus* Hammondus ὁ μακαρίτης de hoc *sanctissimo Martyre optimè meritus,* Gnosticos *esse, qui nomine tenus Christiani scelesta & abominanda patrarunt. Sic in Epistolâ ad* Philadelphenses δοξά-

Maronitas ita nuncupatos fingunt, quia Christum vocant ܡܫܝܚܐ cum nomen trahunt ab istius sectæ conditore (quod frequentissimum esse *Arianorum*, *Manichaorum*, *Photinianorum* &c. nomina ultra omnem scrupulum demonstrabunt) nempe *Marun* Monacho quodam, qui tempore, quo *Mauricius* Imperator summâ laude res *Græcorum* moderatus est, duas naturas, unamque voluntatem, operationem & personam esse in *Christo* asserebat. sic (*d*) *Eutychius*. Quod illorum dogma esse nemo ignorat.

(*d*) Annal. Alex. *part.*2, p. 190.

Sic

Sic quilibet Apostolus dicitur ܡܪܢ quod vocabulum in *Arabicis* hodieque retinetur مار ut مار بطرس مار بولوس *Mar* seu *Dominus Petrus*, *Mar* seu *Dominus Paulus*. Quod benè norant illi *Coptitæ* monachi qui adulatoriam epistolam commenti sunt nomine *Gabrielis Patriarchæ Alexandrini* ad *Clementem* viii P P, *Romanum*, ubi dicitur الجالس علي كرسي مار بطرس *sedere supra sedem Mar Petri*, *&* ipse *Gabriel* fingitur se appellasse خادم الكرسي مار

σαι τὸ ὄνομα. *De* Gnosticis *etiam*, *quod clarè sequitur*, *locutus est* Polycarpus Smyrnæ *Episcopus in celebratissimâ ac ab omnibus agnitâ Epistolâ ad* Philippenses ζηλωταὶ περὶ τὸ καλὸν, ἀπεχόμενοι σκανδάλων, καὶ τῶν ψευδαδέλφων, καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου.

مار مرقس *famulum throni Mar Marci*, ut sic majori prætextu verisimilitudinis in-cautos *Romanos* demulcerent & fallerent. Quam tamen non puduit *Baronium* & (*e*) *Kircherum* attulisse in signatum testimonium submissionis ecclesiarum *Ægyptiacæ* & *Æthiopicæ*, quâ reconciliatæ erant ecclesiæ *Romanæ Pseudo-Catholicæ*. Sed imposturam hanc optimè refutavit nobilissimus *Georgius Douza* in itinere suo *Constantinopolitano* ultra omnem cavillationem *Jesuiticam*.

(*e*) *Supp.* Copt. Prodr *cap*.2. *p*.516. 517.

P. 43. 44.

Cæteri etiam *Apostoli* indiscriminatim hoc titulo insigniuntur (*f*) apud *Eutychium* qui etiam Virginem مرت مريم *Dominam Mariam* appellavit. Quam locutionem, nos omni superstitioso abusu planè abolito, lubentes retinemus, utpote quibus nihil in votis magis est, quam sanctissimos *Apostolos* & *Martyras*, præsertim Beatam *Mariam* θεοτόκον honorificis appellationibus citra cultum divinum revereri.

(*f*) Part.1. p.528.

Neque *Apostolis* solis hæc appellatio tributa erat, sed cuilibet *Christiano*, qui

vel

vel pietate vel studiis inclaruit, nomen præfigebatur, ut مار افريم تعاليف مار (g) Eutych. Ann. Alex. p.405.

اسحاق الواحيد سريانين *Mar Ephraim, tractatus Mar Isaaci Monachi Syri.* Sic *Mar Gregorius Abul-Pharagius.* In concilio primo *Turonensi* S. *Martinus* dicitur *Dominus Martinus*. Ejusmodi sexcenta exempla in scriptis veterum occurrunt. Genuinus ergo hic sensus nominis ultra omnem dubitationem statuendus est. Inde etiam *Marnas* famulus *Asterii* pro Deo habitus apud *Gazæos*, referente *Epiphanio*. *Syriacum* planè est ܡܪܢܫ vel ܡܪܢܫܐ κύριος ἀνθρώπων, ut rectè interpretatur ὁ θαυμάσιος (h) *Scaliger*. Quod *Stephani* errorem qui nescio quam monstrosam seu ridiculam potius originem satis evidenter aperit simul & debellat in *Gaza* ἔνθεν καὶ τὸ τοῦ Κρηταίου Διὸς παρ' αὐτοῖς εἶναι, δι καὶ καθ' ὑμᾶς ἐκάλουν Μαρνὰν ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ· τὰς παρθένους γὰρ οὕτω Κρῆτες προσαγορεύουσι Μαρνᾶν.. (h) Not. in frag. Vet. Græcor. p.36

Quod ad etymon hujus *Syri* nominis spectat, ab *Ebraico* מורן deducendum videtur,

videtur, qui non solum est διδάσκαλος, sed etiam κύριος. Dominorum enim est servos illis subditos instituere, eosdemque ne in muniis obeundis deficiant, vel ex errore, vel ex contumaciâ, monere, postea hoc nomen in titulum (k) *Academici* honoris apud *Judæos* esset. Cum verò supra diximus sanctos hoc nomine insignitos fuisse, id à *Christianis* sequioris ævi factum intelligi velim. Nam quod ad eos spectat, qui primis Christianismi seculis floruerunt, hunc titulum cuiquam præter *Christum* conferre planè horrebant, utpote queis nomen summi *Dei* habebatur. *Tertullianus* in *Apologet.* cap. XXXIV *Augustus imperii formator, ne Dominum quidem dici se volebat, & hoc enim Dei est cognomen. Dicam planè Imperatorem Dominum, sed quando non cogor ut Dominum Dei vice dicam. Cæterum liber sum illi. Dominus enim meus unus est, Deus omnipotens & æternus, idem qui & ipsius. Qui pater patriæ, quomodo Dominus est?*

(i) Scalig. *ut supra, & Elench. Trihær. Serr.* cap. 11.

(k) Buxt. *de Abbrev* p. 46

Quam *Domini* appellationem (uti hic innuitur) non quod divinum sonabat. Sed quia ejusdem esset potestatis & significationis cum nomine *Regis*, quod tyrannis

tyrannis *Tarquinii Superbi* populo ad libertatem aſpiranti odioſum fecerat. *Auguſto* & *Tiberio* diſplicuiſſe teſtatur *Suetonius*. Poſtea verò *Domini* titulus Regibus attributus, tam Ethnicis, ſic *Plinius Trajanum* ſimpliciter ſine addito appellat *Dominum*, quam *Chriſtianis*, ut abundè ex *Digeſtis* patet. Sed hæc gratiâ τῦ Maranatha, quo ab *Apoſtolo* ad Shammatha ultimam & graviſſimam excommunicationis ſpeciem alluſum eſt, dicta ſunto. Quæ omnia ſimul oſtendunt maximum rituum ſimilitudinem in excommunicandis nefariis inter *Judæos* & *Druidas* intercedere.

CAP. IX.

Druidum Pontifex. Sacerdotum distincti ordines & gradus lumine naturali invecti. Papa Titulus Clericis primum ascriptus, postea Episcopis, denique Patriarchis peculiariter attribuitur. Gregorii VII *fastus qui sibi & successoribus proprium decrevit. Illius etymon & significatus. Papa idem ac Pater, à Syriaco Abba. Abuna nomen & titulus Patriacha Æthiopici.*

NUlla societas sive sacra sive civilis diu manet absque ordine. Ordo verò cum sit ἐκ τῶν πρός τι necessario respicit tum aliquos qui regunt, tum aliquos qui reguntur. Ubi enim omnes pari consortio potestatis præditi sint, confusionem, tumultus, tandemque interitum sequi necesse erit. Unde *Druidibus* præerat unus qui juxta *Cæsarem*, summam

mam apud eos habuit authoritatem. Hunc *Pontificem* appellare licebit, quo mortuo, ſtatim de ſucceſſore cogitatur. Qui optimè meritus eſt (ſtricto enim examine in ejusmodi electionibus uſi ſunt) cæteris pietatis ac doctrinæ ſtudiis præcellendo, confeſtim Pontificatu ornatur; ſin verò plures ſint, qui hanc dignitatem ἀρχιεροσύνης ambiunt eâque fungi pariter digni videantur, itum eſt ad ſuffragia, imò ad arma, ubi ſcil. ſuffragia utriusque partis erant dubia, & ad litem decidendam minimè idonea. Sic eminentiam unius præ altero in ſacris peragendis invexit lumen naturale, neque Pontificatum apud populum *Iſraeliticum* ſolummodò ſed apud gentes invaluiſſe omnes hiſtoriæ plenè teſtantur. Apage ideò iſtam *Fanaticorum* ἀταξίαν, qui ſacerdotum paritatem in eccleſia *Chriſtiana* neſcio quo turpi ac indocto zelo introducere ſatagunt contra primævam *Chriſtianorum* praxin per tot ſecula uſque ad hodiernum diem deductam, contra *Judaicæ* gentis olim à *Deo* dilectiſſimæ uſum & œconomiam, ac denique contra naturæ inſtitutum, quod etiam barbaræ gentes ſecutæ ſunt.

Inter

Inter istum variarum titulorum, quibus pro cujusque gentis arbitrio ornantur hi sacrorum Antistites, cumulum, de solo nomine *Papæ* in præsenti agam, idque quidem brevissime, quod nescio quo jure Pontificis *Romani* cathedræ jam affixum est.

Olim Clericos quosdam hoc titulo gaudere docet *Walafridus Strabo* de *rebus ecclesiasticis* cap. 7. *ab ipsis autem Græcis* Kyrch *à κύριος & Papet à Papâ, quod Paternitatis nomen est, & Clericorum congruit dignitati.* Postea ad solos *Episcopos* refertur, eosque verò communiter, ut ex *Cypriano*, *Hieronymo*, *Augustino*, *Ruffino*, & *Ecclesiasticarum* historiarum scriptoribus abundè patet neque ad annum Christi DCCC quod fatetur *Baronius* in Martyrologio ad *Januarii* x. P. 22.

Facessat ergò iste *Gregorii* septimi fastus, quem prodit *Baronius* è registro epistolarum ipsius in Bibliothecâ *Vaticanâ* qui anno Christi 1073. sui verò Pontificatûs tertio, statuit conciliabulo à se *Romæ* coacto, *ut Papæ nomen unicum esset in universo orbe Christiano, nec liceret alicui seipsum, vel alium, eo nomine appellare.* Præser-

Præsertim verò *Patriarchæ* olim ita nuncupati erant, *Græcis* hoc nomine pro titulo sacræ dignitatis primùm utentibus à quibus *Latini Arabesque* mutuati sunt, sic *Epiphanius* hæresi LXVIII quæ est *Meletianorum* crebrò appellat immortalem illum *Athanasium* Πάππαν, & (*a*) R. *Benjamin* vocat *Patriarcham Constantinopolitanum* הפפא של יונים *Papam Græcorum* uti *Romanum* הפפא של רומא *Papam Romæ*. Sic *Alexander* ille cui successit in sede Metropolitica *Alexandrina Athanasius*, ab eodem dictus est ὁ Πάππας Ἀλέξανδρος. Unde παρόραμα Cl. *Seldeni* in versione *Latinâ* ἀποσπασμάτιου quod ex (*b*) *Eutychio* de originibus istius ecclesiæ desumptum seorsim excudit, levi manu castigandum est, qui hæc verba

واما سوالهم لما
يسما بطريرك الاسكندرية
بابا فمعني البابا جد

ita interpretatur,

Is etiam (nempe *Alexander* prædictus) *petiit ab eis, ne Patriarcha Alexandrinus Papa*

(*a*) *Itiner.* Ebræo-Latinè p. 24.

(*b*) *Edit.* Lond. p 32.

Edit. Lond. p. 32.

Papa vocitaretur, quod significat Avum, quaſi ille petiiſſet, vel ut in notis explicat, ex lectione aliâ, malè intellectâ, in mandatis dediſſet, ne hoc titulo uterentur, quum nihil de *Alexandro* innuunt sed initium ſententiæ continent, quâ iis qui in originem hujus tituli inquirunt, poſtea ſatisfactum eſt. Optimè ergò reddit vir præſtantiſſimus ac amiciſſimus
P. 333. D. E. *Pocokius* hoc modò, *Quod autem quærunt nonnulli, quare Patriarcha Alexandrinus vocetur Papa, cujus nominis significatus eſt Avus, ſciendum eſt ab Hananiâ, &c.*

Originem tituli referendam eſſe ad tempora *Heraclæ* ſeu *Heraclii* (utroque modo ſcribitur in codicibus vetuſtis)
P. 334. dicit idem *Eutychius* فسمي بطويرك الاسكندريه من ايام هرقل بابا اي الجد *Ita à tempore Heraclæ Patriarcha Conſtantinopolitanus dictus eſt Papa i. e. Avus.*

vus. Quod alibi repetit في ايامه سمي P. 382.

بطريرك الاسكندرية بابا

اي الجد *Diebus ejus (Heracla) Patriarcha Alexandrinus dicitur Papa i. Avus.* *Heraclas* autem juxta culculum ejusdem, constitutus est Episcopus *Alexandrinæ* anno primo imperii *Alexandri Mammeæ* filii.

Quod ad Etymon attinet, deridendæ sunt ineptiæ illorum, qui ab interjectione admirantis *Papæ* derivandum somniant, vel ab initialibus horum vocabulorum *Pater Patrum* syllabis. Alii autem majori veritatis specie à *Græco* πάππος quatenus *avum* denotat, deducunt; quod planè annuere videtur *Eutychius*, qui hasce solennes nugas habet.

وسمعت العامة الاساقفة

وهم يسمون البطريرك ابا

فقلوا في نفسهم اذا كنا
نحن نسمي الاسقف ابا
والاسقف يسمي البطريرك
ابا فيجب علينا نحن
ان نسمي البطريرك بابا
اي جدا اذ كان اب الابا

Cum verò homines audierant Episcopos vocitare Patriarcham Abba seu Patrem, inter se dixere, Nos Episcopum quemlibet Abba seu Patrem appellamus, & appellant Episcopi Patriarcham Abba, unde sanè oportet, ut vocemus nos Patriarcham Papam i. e. Avum, cum sit Pater Patrum.

At hæc significatio *Avi* est admodum infrequens, & rarò apud scriptores *Græcos* occurrit. Πάππος autem *Græcis* est *Pater*, inde παππάζειν *Hesychio* πατέρα καλεῖν

καλεῖν. Et *Eustathio* in *Homeri Iliad.* ἑ. Βρεφικῶς προσφθέγξεως τὸ πατέρα. Apud *Græcos* recentioris ævi sub tempore scil. declinantis imperii in frequentiori erat usu, de quo consulendi sunt V.V. C.C. * *Seldenus* & *Meursius* in *Glossario Græco-Barbaro.* * Not. in *Eutych.* p. 141.

Papa ergò originaliter idem ac *Pater*, fluxisse quidem videtur à *Syriaco Abba*, ordine primarum literarum immutato, quasi Baba, prout *Arabicè* scribitur, inde literarum ejusdem organi permutatione fit *Papa*.

Ab eâdem origine deducitur titulus *Patriarchæ Æthiopum* Abunna, *nomen Patriarchæ nostro idiomate dicitur* Abunna. Ita *Zago Zabo legatus Æthiopicus* in narratione suâ quam edidit *Damianus* à *Goes Eques Portugallicus* scriptor de gente *Æthiopum* optimè meritus. *Abunna* seu *Abuna* est purum putum *Syriacum* ܐܒܘܢ i. e. *Pater noster*, sic Authores versionis *Æthiopicæ Novi Instrumenti*, in fine *Omnes nos filii Abuna sumus.* Sed de his hactenus.

CAP. X.

Druides magno honore habiti. Populus iis obtemperat vel in arma ruiturus. Superstitionis vis. Semnothei dicti erant, non Samothei ut fingit Annius Viterbiensis. Nomen Dei in titulos assumere usitatum erat, sic nomina Ebraica Jehova & El tam in principio quam fine. Apud Tyrios & Babylonios Bel. Diogenes & Heraclitus dicti θεῖοι, uti & Plato. Ejus Epitaphia Græcè & Arabicè, dictus etiam erat à Porphyrio ὁ θεολόγος. Druidum privilegia à bello abesse; tributum non pendere & rerum omnium immunitatem habere. Idem Levitis concessum privilegium, uti & Christianis sacerdotibus à Constantino Magno.

CUm tantam authoritatem tam in rebus sacris administrandis haberent *Druidæ* neutiquàm mirandum est, si populus justo religionis sensu tactus erga hosce

hosce se permodestè quidem gesserit, eosque quasi cæleste numen mentes illorum divino afflatu implevisset, impensè venerati fuerint. Ἀιδοῦς ἱερὴα communis naturæ vox sonat, cui alacri animo morem gesserunt *Britanniarum* incolæ. (a) *Diodorus Siculus* χρῶνται δὲ καὶ μάντεσι (de *Druidibus* intelligi debet, quod hic *Bardis* lapsu memoriali attribuit) ἀποδοχῆς μεγάλης ἀξιοῦντες αὐτοὺς, addit πᾶν τὸ πλῆθος ἔχουσιν ὑπήκοον, *Omnis populus eis obtemperat*, deindè illustre ac planè admirandum obedientiæ specimen, quam populus efferatus & in arma ruiturus contra exacerbatos animorum vindictam sitientium affectus præbere solet, illorum conspectu victus, & in mansuetudinem reductus, proponit, τούτοις μάλιστα πείθονται καὶ τοῖς μελῳδοῖς ποιηταῖς οὐ μόνον οἱ φίλοι, ἀλλὰ καὶ οἱ πολέμιοι· πολλάκις ἐν ταῖς παρατάξεσι πλησιαζόντων ἀλλήλοις τοῖς στρατοπέδων καὶ τοῖς ξίφεσιν ἀνατεταμένοις, πίνουσιν αὐτοὺς, ὥσπερ τινὰ θηρία κατεπᾴσαντες h. e. *His uti & Bardis adeò impensè obtemperant, ut cum instructâ acie exercitus eductis ensibus jactisque jaculis propinquant, non solum amici, sed hostes quoque eorum interventu à pugnâ conquiescant.*

(a) Biblioth. Histor. lib. 5. p. 213. ex edit. *Henr. Stephani*. An. 1559.

 scant.

(b) Geogr. lib. 4. p.136.

escant (b) Strabo ὥστε καὶ πολέμους διῄτων πρότερον καὶ παρατάττεσθαι μέλλοντας ἔπαυον *ut aliquando causis bellorum disceptandis jam acie congressuros composuerunt*.

Omninò hoc quicquid est constantis historiæ fidem superaret, nisi credidissemus efferatæ plebis pectora nullius prætextu efficacius moveri ac domari, quam superstitionis. Si aperta vis adhibeatur, repellitur, & ultrò flaccescit, subministrant minæ novum furori fomitem, & in extremam rabiem iratum populum adigunt. Sola valet Religio & potenti fascino mentes incantat, ut defervescente feritatis æstu, quo nuper tumebant novum gliscit certamen quis amando vincat, & in mutuos amplexus ruunt in hostes

Tantum religio potuit suadere ——

Quisquis hæc admiranda serio perpendens, eos rectè appellari Σεμνοθέους denegare vix audebit *Diogenes Laertius* in proœmio, παρά τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας, καὶ σεμνοθέους. Locum hunc audax ac temeraria *Joannis Annii Viterbiensis*, cujus imposturas omnes

omnes docti, qui veritati litant, execrantur, conjectura pessimè corrupit, substituendo aliud verbum loco istius nempe Σαμοθέοι (quasi à *Samothe* primo *Celtarum* rege ita dicti essent) contra fidem omnium codicum Manuscriptorum quos vidit *Henricus Stephanus*, qui meritò castigavit turpes ac pueriles errores B. *Brugnoli Veneti* qui *Annium* securè nimis secutus, istam lectionem prætulisse ausus est. At Σεμνοθέοι ibi legendum, præter convenientem hujus Epitheti rationem postea assignandam, *Suidas* clarè evincit Δρυΐδαι παρὰ Γαλάταις οἱ φιλόσοφοι καὶ σεμνόθεοι, ut mihimet facile persuaderi patior. Verba ista ex hoc *Laertii* loco, quem jam præ manibus habemus fideliter exscripsit.

Σεμνόθεοι autem dicti erant, quia velut quidam σεμνοὶ θεοὶ a populo haberentur, vel si mavelitis, ipsis *Dis* chari & venerabiles. Nomen *Dei* additum honorem ac reverentiam adauget, & multo majori ponit pretio. Sic montes *Dei* Psal. xxxvi. 7. i. e. maximi, & sopor *Domini* 1 Sam. xxvi. 12. i. e. profundissimus, ubi annotat R. *David Kimchi* הדבר שרוצה להגדיל סימך אותו לאל *Quando*

 Scriptura

scriptura vult rem quandam extollere, eam jungit nomini Dei. Neque iis proprium erat in titulos nomen Dei assumere. Tam veneranda divini nominis appendix ab aliis magno honore habebatur. Apud *Ebræos* tam in principio præpositum honoris causâ ut in *Jehoshua*, * *Jehoshaphat* κύριος κρίσις *Jehoram* κύριος ὕψιστος aliisque quamplurimis, quam in fine ut *Obadiah Servus Dei* idem quod *Arabicum* عبد الله Addalla, usitatum nomen apud *Mohammedanos*, Zedekia δικαιοσύνη θεοῦ, Isaia σωτηρία κυρίου &c. Idem de אל *el* alio Dei nomine dicendum, *Daniel*, *Samuel*, *Ezechiel*, *Misael*, *Elnathan*, *Elkana*. Identidem quorundam Angelorum nomina hoc divinum nomen respiciunt, ut *Michael*, *Raphael*, *Gabriel*, & *Uriel*, isti πάντες μεγάλοι Ἀρχάγγελοι, qui juxta librum Enochi, ad *Deum* humani generis querelas contra *Semixam*, cæterosque malos spiritus, qui

* *Ita Græcè reddit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Lexico MS. in Archivis Reverendissimi cum Christo Patris Gulielmi Laud Archiepisc. Cantuariensis pientissimi Martyris & maximi dum viveret literarum Fautoris. cod. xcv. Bibl. Bodleianæ.*

qui filias hominum duxerant in uxores, detulere. Sic *Zagnugael* angelus qui *Mosi* apparuit. *Targum Uzielidis* in *Exod.* cap. iii. v. 2. Sic *Razael* præceptor *Adami* juxta *Cabbalistas*, *Jophiel Semi*, *Zadkiel Abrahami* (*Raphael Jacobi*, *Gabriel Josephi*) *Malatiel Eliæ*. Sic *Kethabiel*, *Zechariel*, & sexcenta istiusmodi nomina, quæ è textu sacro, quo Dei vel ejus attributorum fit mentio, eliciunt. Inde dictum כל מלאכא כפום שמיה אית ליה קרא באוריתא *Unicuique Angelo est versus in lege correspondens nomini ejus* ita Auctor *Cabbalisticus* apud *Rittangelium* p. 16. & p. 17. כל מלאכא כפום שליחותיה אשתני שמיה *Uniuscujusque Angeli nomen juxta legationem ejus immutatur.* Sic *Bel* corruptum ab *Ebraico* בעל *Baal* supremum *Babyloniorum* & *Tyriorum* numen, inde *Beltshazzar Dan.* cap. 4. *Daniel, cujus nomen Beltshazzar juxta nomen Dei mei*, & seculis posterioribus *Hannibal*, *Asdrubal*, cæteráque ejusmodi.

Qualitercunque nomen divinum affixum

xum fuerit, magnum in illius, qui gessit, honorem cedebat. Hoc Ethnici probè cognôrunt, ut neque optimi sanctiorem titulum affectarent, neque iisdem meliorem conferre ii qui illorum famæ æternitati consultum iverunt, potuerint. Hinc *Diogenes* & *Heraclitus*, dispar, si ita loqui fas erit, par Philosophorum θεῖοι dicti ab Epicteto in Enchiridio cap. XXXI. Hoc quoque commune *Platonis* Epitheton fecit unanimis scriptorum consensus, qui de illo absque hâc honorificâ appellatione vix aut rarò loquuntur. Sepulchro ipsius *Epitaphia* ita olim inscripta testatur *Diogenes Laertius* in ejus vitâ

Σωφροσύνῃ προφέρων θνητῶν ἤθεί τε δικαίῳ
Ἐνθάδε δὴ κεῖται Δῖος Ἀρισοκλέης·
Εἰ δὲ τις ἐκ πάντων σοφίης μέγαν ἔχεν ἔπαινον
Τοῦτον ἔχει πλεῖστον καὶ φθόνος οὐχ ἕπεται·

Aliud.

Γαῖα μὲν ἐν κόλποις κρύπτει τόδε σῶμα Πλάτωνος,
Ψυχὴ δ' ἀθανάτων τάξιν ἔχει μακάρων

Υἱοῦ

Υἱοῦ Ἀρίστωνος τόν τις καὶ τηλόθι γαίων
Τιμᾷ ἀνὴρ ἀγαθὸς θεῖον ἰδόντα βίον·

Quæ *Arabicè* verſa à *Gregorio Abul-Pharagio* fortaſſe non indigna judicabit lector φιλανατολικόγλωττος quæ hic appo-nantur هاهنا وضع رجل

الهي فاق الناس كلهم

في العلم والعفة والنباهة

والاخلاق العادلة فكل من

مدح الحكمة فقد مدح اذ

فيه اكثرها *Hic ſitus eſt vir divinus, qui omnes, quotquot ſunt homines; ſcientiâ, caſtitate, intellectu, & morum probitate antecelluit, & quicunque ſapientiam laudaverit, eum eâdem operâ laudat, utpote in quo maxima ejuſdem pars fuit.* Ex alterâ parte tumuli

muli hæc legebantur

يا ايتها الارض وان

كنت مخفيه جسد افلاطون

لكنك لا يمكنك الدنو من

نفسه التي لا تموت *Heus terra licet corpus Platonis tegas, ad animam tamen ipsius immortalem propiùs accedere non potes.* Dictus ergo *Plato* θεῖος non tam ob illustrem prosapiam utpote qui paternum genus à *Posidonio*, maternum à *Solone* celeberrimo *Atheniensium* legislatore duxit, quam ob divinas mentis dotes, erga Deos pietatem, stupendam eruditionem, & rerum cœlestium variam scientiam, unde à *Porphyrio* passim appellatur ὁ θεολόγος. Consentaneum ideo videtur *Druidas* nostros eâdem ratione τῶν σεμνοθέων nomen & titulum sortitos fuisse. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Inter privilegia & honores, quibus *Druides* gaudebant, hoc quoque numerandum est, quod *illi à bello abesse consueverunt*,

sueverunt, neque tributa una cum reliquis pendunt, militiæ vacationem, omniumque rerum habentes immunitatem. Ita *Cæsar.* Eodem privilegio divino jussu apud populum *Israelis* olim fruebantur *Levitæ.* Neque tamen hinc origo sive reverentiæ, sive immunitatis erga sacerdotes, cæterosque *Dei* peculiares ministros exhibendæ peti debet, quin potius ad prima mundi tempora retexenda est. Sacerdotes sacri semper habiti etiam apud Ethnicos, qui religionis quam profitebantur sensu affecti, in indulgendis privilegiis & immunitatibus modum penè excesserunt. Testimoniis de omnium gentium praxi, ne Americanis quidem exceptis, qui humanitatem exuisse videntur, plenè abundant historicorum scripta. Sed brevitas, cui jam litandum est, hisce immorari non patitur.

Ne verò *Christianis* sacerdotibus, qui sanctius ac excellentius ministerium sortiti sunt, pejor sors contingeret, piissimâ curâ providebat *Constantinus.* Ecclesiæ nutritius, qui in epistolâ ad (c) *Anilinum* Proconsulem *Africæ* jussit *Clericos* sub ejus præfecturâ degentes à publicis civilibusque ministeriis liberari διόπις ἐκείνυς

(c) *Euseb.* Hist. Eccles. l. 10. c. 7.

ἐκείνους τοὺς εἴσω τῆς ἐπαρχίας σοι πεπιστευμένης ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ᾗ Καικιλιανὸς ἐφέστηκε, τὴν ἐξ ἑαυτῶν ὑπηρεσίαν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ θρησκείᾳ παρέχοντας, οὕσπερ κληρικοὺς ἐπονομάζειν εἰώθασιν, ἀπὸ πάντων ἁπαξαπλῶς τῶν λειτουργιῶν βούλομαι ἀλειτουργήτους. Rationem addit tanti Imperatoris pietate dignam ὅπως μὴ διά τινος πλάνης ἢ ἐξολισθήσεως ἱεροσύλου, ἀπὸ τῆς θεραπείας τῆς τῇ θειότητι ὀφειλομένης ἀφέλκωνται, ἀλλὰ μᾶλλον ἄνευ τινὸς ἐνοχλήσεως τῷ ἰδίῳ νόμῳ ἐξυπηρετῶνται. (d) *Nicephorus* aliam ejusdem constitutionem in admirandum piæ liberalitatis erga Ecclesiam specimen memorat, quâ jubet, ut bona ecclesiæ, quæ illius nempè erant, confertìm restituantur.

(d) Histor. Eccles. lib. 7. c. 42.

Non est cogitandum, illos qui sub præfecturâ *Anilini* vel in diœcesi *Carthaginensi* vixêrunt, hoc privilegio solummodò munitos esse; non inter hosce arctos limites comprehendi debet Imperatoria bonitas, ad omnes extendi oportere docet *Eusebius* titulo istius constitutionis Ἀντίγραφον βασιλικῆς ἐπιστολῆς, δι' ἧς τοὺς προεστῶτας τῶν ἐκκλησιῶν (plenius *Nicephorus*, τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ὑπηρέτας, καὶ ἡγεμόνας) ἁπάσης λειτουργίας τῆς πο-

λι

εἴ τι πολιτικῆς λειτουργίας προσδέοιτο. Extra dubium ponit (e) *Sozomenus*, cujus verba tam in honorem magni illius *Constantini*, quam Cleri hic apponam, τεκμήριον δὲ κἀκείνου μέγιστον τῆς τοῦ βασιλέως περὶ τὴν θρησκείαν αἰδοῦς, τοὺς μὲν γὰρ πανταχῆ Κληρικοὺς θέσει νόμου ἀτελεῖς ἀνῆκε· τῶν δὲ ἐπισκόπων ἐπικαλεῖσθαι τὴν κρίσιν ἐπέτρεψε τοῖς δικαζομένοις, ἢν βούλοιντο τοὺς πολιτικοὺς ἄρχοντας παραιτεῖσθαι· Κυρίαν δὲ εἶναι τὴν αὐτῶν ψῆφον, καὶ κρείττω τῆς τῶν ἄλλων δικαστῶν, ὡσανεὶ παρὰ τοῦ βασιλέως ἐξενεχθεῖσαν· εἰς ἔργον δὲ τὰ κρινόμενα ἄγειν τοὺς ἄρχοντας, καὶ τοὺς διακονουμένους αὐτοῖς στρατιώτας, ἀμετατρέπτους εἶναι τῶν συνόδων τοὺς ὅρους hoc est, *maximum verò hoc Imperatoris erga religionem signum quòd lege condita clericos ubique immunes esse jussit, illisque qui in jus vocati erant, si rejicere vellent civiles magistratus ad Episcoporum judicium provocare permisit; determinationem eorum esse fixam voluit, & aliorum judicum decretis potentiorem, tanquam ab ipso Imperatore datam. Sancivit porro, ut judices & milites qui ipsis ministrant, res judicatas exequerentur, & synodorum decisiones esse immutabiles.* Sic *Constantinus*, ut loquitur idem Historicus,

(e) Hist. Eccles. lib. 1. c. 9.

ricus, διὰ πάντων ἐσπέδαζε τὴν θρησκείαν γεραίρειν *omnem curam & laborem ad ornandam religionem adhibuit*, donando ſcil. ſacerdotes hiſce privilegiis. Quod ulteriùs patebit ex iſtâ *Conſtitutione* quæ inter alias in favorem *Cleri* ſancitas occurrit in *codice* lib. 1. tit. 3. de *Epiſcopis* & *Clericis* lege *juxta ſanctionem*, quæ non ob brevitatem ſolam ſed materiæ nobilitatem hic legi meretur.

Imper. Conſtantinus A. *Clericis* ſalutem dicit *Juxta ſanctionem, quam dudum meruiſtis, & vos, & mancipia veſtra, nullus novis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis: propterea neque hoſpites ſuſcipietis. Dat.* VI. *Kal. Sept. Placido & Romulo Coſſ.* Sed de immunitatibus Cleri hæc ὡς ἐν παρόδῳ dicta ſunto.

CAP. XI.

Druidum Dogmata è Scholâ Pythagoræ desumpta. Immortalitas Animæ. Aristoteles non negavit ἀθανασίαν τῆς ψυχῆς. Judæi animas impiorum instar brutorum interire asserunt. Immortalitatem animæ negarunt Epicuræi, Pyrrhonii, Sadducæi, & Baithosæi. Karraitæ. Anan instaurator sectæ Sadducæorum. Animarum transmigratio. Dogma hoc amplexi sunt Druides, hæretici & recentiores Judæi. Menassis ben Israel ineptus error. Druidum disciplina. Mos erudiendæ juventutis. Pythagoras arcana suæ philosophiæ scriptis non commisit. Aurea carmina à discipulis ipsius facta. Judæorum Cabbala. Traditio Mohammedis. Druidum chronologia, à sextâ Lunâ menses ac annos ordiebantur. Seculi spatium. Diem à vespera præcedente deduxerunt. Idem Judæorum & Æthiopum mos. Druides quando aboliti.

NON eſt res in legendis veterum ſcriptis dignior vel commodioris uſûs, quam in diverſarum ſectarum dogmata diligens inquiſitio, quid ſenſerit *Pythagoras*, quid οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς, quid οἱ περὶ Πλάτωνα, denique quid *Epicurus* à communi *Philoſophorum* uſu deſcivit iis ignorandum non eſt, qui è reliquiis veteris Philoſophiæ novam ornare cuperent. Quapropter nos de *Dogmatibus Druidum* pauca dicere decrevimus. Quos *Pythagoræ* nomina dediſſe ſupra innuimus, & è recenſione dogmatum, quotquot ad memoriam noſtram pervenerunt, jam magis particulatim reſtat expediendum. *Ammianus Marcellinus* lib. 15. *Inter hoſce Druidæ ingeniis celſiores, ut auctoritas Pythagoræ decrevit, ſodalitiis aſtricti & conſortiis, quæſtionibus occultarum rerum altarumque erecti ſunt.*

Inter κυρίας δόξας ſeu dogmata primum locum meritò occupabit illud de *immortalitate animæ. Cæſar, Inprimis hoc perſuadere volunt, non interire animas. Strabo* ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχὰς καὶ τὸν κόσμον. *Ammianus*

anus Marcellinus; despectantes humana, pronuntiarunt animas immortales. Hinc illi quos *Druidæ* ita instituerant vitæ negligentiores facti, bello fortiter occumbere gloriabantur, ac de futuro immortalitatis statu securi, mortem & quicquid aliis terrorem solet incutere in defendendâ patriâ erectis animabus ambiebant. *Mela, Unum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluxit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuis cremant ac defodiunt, apta viventibus olim.* Hoc quicquid est fortitudinis vel pertinaciæ ex hoc dogmate ortæ immortali & elegantissimo carmine celebravit *Lucanus*, qui ita Druidas alloquitur Lib. 1.

——— Vobis auctoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt, regit idem spiritus artus
Orbe alio. Longæ canitis si cognita vitæ
Mors media est, certe populi quos despicit Arctos

Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud urget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaque capaces
Mortis, & ignavum est reditura parcere vitæ.

Ante tempora *Pythagoræ*, non certò constabat *Ethnicis* de immortalitate animæ, qui primus, vel saltem inter primos, eam rationibus è propriâ philosophiâ petitis stabilivit. Cætera ipsius placita, ne profanis vulgi oculis patefierent, vel mysticis verborum involucris occuluit, vel discipulis interdixit, ne cuiquam qui non in ὁμακόϊον admissus erat, ea revelarent. Hoc verò de perenni animæ statu postquam egressa fuerit è corpore, in vulgus spargebatur, tanquam peculiaris & characteristica sectæ Pythagoricæ nota.
P. 188. *Porphyrius* in vitâ ejus, Ἃ μὲν οὖν ἔλεγε τοῖς συνοῦσιν, οὐδὲ εἷς ἔχει φράσαι βεβαίως· καὶ γὰρ οὐδ' ἡ τυχοῦσα ἦν παρ' αὐτοῖς σιωπή· μάλιστα μέντοι γνώριμα παρὰ πᾶσιν ἐγένετο, πρῶτον μὲν ὡς ἀθάνατον εἶναί φησι τὴν ψυχήν h. e. *Cæterum quid Auditoribus suis tradiderit, nemo certè affirmare*

mare potest. Magnum enim & accuratum inter eos servabatur silentium. Sed hæc apud omnes pervulgata sunt, primò quidem quod animam immortalem esse affirmaverit. Sic idem *Porphyrius* apud *Stobæum* in eclogis *Physicis cap.* de statu animarum post exitum ἡ τῆς ψυχῆς διαμονὴ καὶ ἀϊδιότης ἐν τοῖς μάλιστα τῶν Πυθαγορικῶν δογμάτων γνώριμόν ἐστι πᾶσιν καὶ διαβόητον, *Animæ permanentiam & immortalitatem inter præcipua Pythagoræorum dogmata esse omnibus familiare est & celebratum.* Quod inter monita Ethica sub ipsius nomine in aureis versibus editis etiam occurrit

Ἢν ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος οὐκ ἔτι θνητός.

Cujus mentem optimè explicavit Hierocles in commentario suo, quem maximo fructu consulas licet. P. 98. 133. 138.

Hoc sanè de immortalitate animæ dogma tot manifestis indiciis sese prodidit, ut apud saniores Philosophos fidem facilè obtineret. De eâ *Stoici* dubitasse

 videntur

videntur. *Zeno* agnovit animæ ſeparationem à corpore, non tamen prorſus incorruptam ſtatuit, at ejus diſcipulos animam immortalem & quandam Dei particulam credidiſſe dicit (*a*) *Epiphanius*, quod negant *Diogenes Laertius* & *Plutarchus* de placitis Philoſophorum. *Socratem* & *Ciceronem* de veritate immortalitatis animæ dubitaſſe teſtatur eruditiſſimus Pater S. *Hieronymus* epiſtolâ ad (*b*) *Heliodorum* de epitaphio *Nepotiani*, cui fidem plenam facit V. C. *Hugo Grotius*, ex illorum ſcriptis teſtimonia citando, in notis ad lib. 2. de *veritate Chriſtianæ religionis* cap. 9. Rectè hâc in re ſapiunt *Platonici* omnes, & etiam ipſe *Ariſtoteles*; quem fruſtra exagitant illius nominis ac famæ æmuli, quaſi ἀθανασίαν τῆς ψυχῆς negaſſet. Ab hiſce calumniis eum vindicat *Auctor* incertis de vitâ *Pythagoræ* apud *Photium* cod. CCXLIX ὅτι Πλάτων φησὶ καὶ Ἀριστοτέλης ἀθάνατον ὁμοίως λέγουσι τὴν ψυχήν· κἂν τινες εἰς τὸν Ἀριστοτέλους νοῦν οὐκ ἐμβαθύνοντες, θνητὴν νομίζουσιν αὐτὸν λέγειν.

(a) Epiph. Expoſit. fidei p. 1090.

(b) Fol. 16. C. tom. 1. edit. *Eraſm.*

Judæi citra adventum *Chriſti* על השארית הנשמה post egreſſum rectè

ctè senserunt, nisi quod pauci inveniantur, qui hoc privilegium animabus justorum tantum indulserunt, animas impiorum instar brutorum extingui & evanescere statuentes. Ita *Maimonides halacha Teshubah* seu de resipiscentiâ cap. 8. sect. 2. *præmium justorum consistit in hoc, & hâc jucunditate & felicitate gavisi fuerint* פירעון הרשעים הוא שלא יזכו לחיים אלו אלא יכרתו וימותו וכל מי שאינו זוכה לחיים אלו הוא המת שאינו חי לעולם אלא יכרת ברשעו ואבד כבהמה *pœna verò impiorum ut non vitam illam mereantur sed abscindantur & moriantur. Ille qui non meritus est vitam moritur, neque vivit in æternum, sed abscinditur, & improbitate suâ & perit sicut bestia.* sic Kimchius in Psalm. 1. 5. *improbi non exsurgent in judicio*, & in Psalm. 115. 17.

Cui dogmati, licet fortissimis nitatur fulcimentis, quodvis ævum aliquos produxit, qui impiè refragati sunt. Inter *Ethnicos* præcipui erant *Epicuræi*, & *Pyrrhonii* qui omnium rerum, etiam sensibilium, certitudinem sustulêre, inter(c) *Judæos*,

(c) Greg. Abul Phar. p. 78.

Judæos, *Sadducæi* qui hoc infelici ac vano errore totius religionis fundamenta everterunt, & *Baithosæi* ab hæresiarchis *Saddoko*, & *Baithoso Antigoni Sochæi* discipulis ita dicti. Sic Author (d) *Corri* part. 3. sect. 65. מתלמידיו צרוק וביתוס שהיו שורש לכופרים ובהם נקראו צרוקים וביתוסים *E discipulis Antigoni* Saddocus & Baithosus qui erant *radix negantium* (i. hæreticorum sic (e) Arabicum كافر quo nomine *Julianus* ὁ παραβάτης appellatur) *unde Sadducæi & Baithosæi dicti sunt.* Idem præclarus Author statim addit, *Sadducæi & Baithosæi sunt hæretici Epicuræi* מכחישים העולם הבא *negant futurum seculum.* *Josephus* de bello *Judaico* lib. 2. cap. 12. ψυχῆς τε διαμονὴν ἀναιροῦσι & lib. 18. de *Antiquit.* cap. 2. Σαδδουκαῖοι δὲ τὰς ψυχὰς συναφανίζει τοῖς σώμασι. Quod satis evidenter ex Evangeliis sequitur, qui enim negat resurrectionem mortuorum, animam cum corpore interire credere necesse est, & vice versâ. *Nicholaus Lyranus* in *Matth.* cap. xxii. *Inter Judæos quidem erant,*

(d) Edit. Venetæ p. 187. b. at edit. *Buxt.* p. 240.

(e) *Eutych.* p. 1. p. 481.

erant, qui dicebantur Sadducæi, qui aicebant animam hominis esse mortalem, & per consequens negabant resurrectionem

Caræos (קראים) eosdem non esse cum *Sadducæis*, eò quod præmium & pœnam mundo futuro, & resurrectionem mortuorum agnoverint, (prout eos putidis conviciis frequenter criminari solent *Judæi Rabbanæi* fatetur R. *Abraham Zacuth* in titulo *Sepher Juchasin.* Hanc verò *Sadducæorum* sectam corruentem & penè dilapsam instaurarunt *Anan*, *Saul* & *Carcasnai* uti testatur R. *Abraham Bar Dior* in *Shalsheleth Hakkabbala.* Ad quorum primum forsan respicit Epiphanius Ἄλλη (διατείνουσι) γὰρ εἰς τὸν Ἄνδαν ἢ Ἀννᾶν τὸν καὶ Ἰουδᾶν. Sed de immortalitate animæ hactenus.

Druidas Pythagoræ discipulos fuisse, aliud de transmigratione animarum dogma luculentius demonstrabit. *Cæsar* iterum atque iterum in partes vocandus, Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios. (*f*) *Diodorus Siculus* ἐνίσχυει γὰρ παρ' αὐτοῖς ὁ Πυθαγόρου λόγος ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων εἶναι συμβέβηκε καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν εἰς ἕτερον

(*f*) Bibl. Hist. lib. 5. p. 212.

ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης. *Pythagoram* vero iis, aliisque hoc dogmate præivisse, nihil in historiis veterum notius est. (*g*) *Porphyrius* in ejus vitâ dicit, *hæc apud omnes pervulgata esse primum quidem quod animam immortalem esse affirmaverit* εἶτα μεταβάλλουσαν εἰς ἄλλα γένη ζώων deinde eam diversa animantium genera subire. Quam lectionem alteri ἄλλα σώματα ἀνθρώπων meritò prætulit doctissimus *Holstenius*. Non enim animas hominum in sola corpora humana intrudi credebat (*h*) *Pythagoras* sed etiam in brutorum. Sic dixit se esse *Euphorbum Panthi* filium qui bello Trojano occubuit, de quo *Homeri* versus ad lyram accinere solebat, deinde *Æthalidem*, tertio *Hermotimum*, quartò *Pyrrhum*, tandem verò *Pythagoram*.

(*g*) P. 188. V. Origen. adv. *Cels.* l. 6. p. 280. & Epiph. hær. 7.

(*h*) Porph. p. 291.

Hunc vomitum linxêre hæretici, qui *Christianam* ecclesiam impuris & corruptissimis dogmatibus infestarunt, puta, *Gnostici*, *Epiphanius* hær. 26. sect. 10. *Marcion* hær. 42. sect. 4. *Manes* hær. 66. sect. 9. *Gregorius Abul Phar.* p. 131. Etiam *Plato* & ipsius discipuli, si credendum sit eidem *Gregorio* p. 69. & *Epiphanio*

(*i*) *Epiphanio* epiſtolâ ad *Acacium* & *Paulum* n. 5 & hær. 6. ſect. 1. qui hanc μετεμψύχωσιν inter *Stoicorum* dogmata recenſet, quod tamen negat *Laertius* biographorum diligentiſſimus. Rejicit verò *Ariſtoteles* lib. 1. de Animâ cap. 3. In hunc errorem ſenili ætate incidit *Origines Phot. cod* 81. et. 117. & alter *Origines* Epiſcopus *Manbagenſis*. *Eutych.* Ann. *Alexandr*. part. 2. p. 170. quem etiam tuebatur *Agapius* apud *Photium* cod. 179. pag. 405. Mirandum eſſet, ſi recentiores Judæi, qui omnia veterum commenta, abſurdiſſimaſque opiniones ridiculis enarrationibus è locis ſcripturæ malè intellectis incruſtârunt, in hoc turpi errore non eſſent argutè ridiculi. *Ebraicè* dicitur סוד גלגול הנשמות *myſterium revolutionis animarum*. *Elias Levita* in *Tiſbbi* מוה מה שאומרים בעלי הקבלה גלגול הנשמות ודעתן שכל נשמה ונשמה ובראת שלשה פעמים ר״ל שהיא מתגלגלת בגופי שלשה בני אדם *Hinc eſt quod ajunt Cabbaliſtæ de revolutione*

(i Hær. 5. n. 1. & Epiſt. prædictâ ſect. 6.

tione animarum nempe quod qualibet anima ter creatur i. e. *involvitur in corpore trium hominum.* Hanc transmigrationem ter tantum fieri probant è *Jobi* xxiii. 29. indeque fingunt animam primi hominis volutatam fuisse in corpus *Davidis* & tandem in corpus *Messiæ*, quod significari volunt literis initialibus τῶ אדם, scil. *Adam*, *David*, *Messias*. Hanc etiam transmigrationem ex historiâ *Judæ* & *Thamaric*, & è præcepto de suscitando fratri semine si absque liberis moriretur contendit (k) *Menasse ben Israel*, sed ineptissime. Frustra huc detorquet *Chaldaicam Jonathæ Paraphrasim.* Esaiæ xxii. 14. *Si expiabitur iniquitas hæc vobis, donec moriamini* מותא תנינא *mortè secundâ* i. e. juxta hujus δοκησισόφου ridiculam expositionem, *donec in aliud corpus transmigret, & secundâ morte ab eo separetur*: cum illâ phrasi juxta usum istius seculi, quo floruit *Uzielides*, pœnam damnatorum in inferno denotatam fuisse, paralleli loci apud D. *Joannem* Apocalyps. cap. 20. 6. & cap. xx. 14. satis demonstrant. Etsi non dissimulandum est, aliquot Judæorum sub temporibus beatissimi nostri Salvatoris hunc errorem

(k) De resurrect. mort. lib. 2. cap. 18.

errorem imbibisse videri *Matth.* xvi. 14. & *Marc.* viii. 28. quem recentiores novis fabulis auxerunt, & animas hominum etiam in bestias & aves transmigrare fingunt, uti videre est apud (*l*) R. *Becbai* comment. in Pentateuchum. Nos brevitati litantes, summitates rerum tantum excerpsimus, alias si commodum videbitur, fusius acturi.

(*l*) Fol. 227. 3. v. *Elia Levita Tesbi* in גלגול

Druidas asseruisse τὸν κόσμον ἄφθαρτον εἶναι supra testatur *Strabo*, quod verò addit eos dixisse ἐπικρατήσειν δέ ποτε καὶ πῦρ καὶ ὕδωρ non ita intelligi debet, ac si universum mundum in nihilum dissolutum iri credidissent, sed potius, uti videtur, ad mentem (*m*) *Pythagoræ* ὅτι κατὰ περιόδους τινὰς τὰ γενόμενά ποτε πάλιν γίνεται, νέον δ' οὐδὲν ἁπλῶς ἐστὶ, *quia post certos, temporum circuitus idem, quod olim erat, rursus fit, & nihil omnino novum existit.* Quod erat commune *Stoicorum* dogma. *Origen* adv. *Celsum* lib. 5. p. 244. *Antoninus* Imperator lib. 11. τὴν περιοδικὴν παλιγγενεσίαν τῶν ὅλων appellat. Sic post generalem conflagrationem, mundum iterum extare, hominesque in eo habitare dixit *Methodius* apud *Epiphan* hær. 64. sect. 31. *Andreas* quidam

(*m*) *Porphyr.* de vitâ *Pythag.* p. 188. v. *Hierocl.* in *Pythag.* p. 21.

quidam Monachus, quem refutat *Eusebius Thessalonicensis* apud *Photium* cod. CLXII. (Permodestè quidem dubitat (*n*) *Origenes* qui istiusmodi commenta aliàs acritèr ac mordicus tueri solet) & *Cajus* presbyter in fragmento περὶ τοῦ παντὸς sive περὶ τῆς τοῦ παντὸς αἰτίας ἢ οὐσίας, quod non *Josephi Judæi*, ut quidam malè opinantur, sed cujusdam *Christiani* esse innumeris indiciis patet. *Papiæ, Irenæi, Judæorum*, cæterorumque qui Chiliastarum errori favent, consultò & ex industriâ prætereo, ad alia properaturus.

(*n*) Adv. *Cels.* l. 4. p. 203. 209. Apud *Hasebel* in notis ad *Photii* Biblioth. p. 12.

Nec dogmata tantum; sed etiam disciplina & studiorum institutiones Druidibus cum Pythagoræis communes erant. Horum autem disciplina in juventute erudiendâ maximè apparuit, quæ per longum temporis intervallum, magnum versuum numerum quibus abstrusa δεισιδαιμονίας mysteria latebant, memoriter repetere edocta erat. Neque enim eos literis exarare cuilibet permissum, sed cæteris oretenus tradere tenebantur. *Cæsar, Tantis excitati præmiis & suâ sponte multi in disciplinam conveniunt, & à propinquis, parentibusque mit-*

tuntur

tuntur magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaque nonnulli annos vicenos in disciplinâ permanent. * *Neque fas esse existimant ea literis mandare, cum in reliquis ferè rebus publicis, privatisque rationibus Græcis literis utuntur, id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque vulgus in disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt literis confisos minus memoriæ studere, quod ferè plerisque accidit, ut præsidio literarum diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant.* Mela *docent multa nobilissimos gentis clàm & diu vicenis annis.*

En *Druidas Pythagorissantes ! Pythagoræ* enim qui satis providebat ne illius arcana evulgarentur, discipulis ea scriptis committere nefas erat. Quod planè innuit *Porphyrius*, qui postquam *Pythagoræ* familiares in factione *Metapontina*, domo musarum quæ conflagrabat, * exustos meminisset, statim addit τῆς δ' συμφορᾶς ὅτως καλασχούσης τοὺς ἄνδρας, συνεξέλιπε καὶ ἡ ἐπιστήμη, ἄρρητος ἐν τοῖς στήθεσιν ἔτι φυλαχθεῖσα ἄχρι τότε μόνων τῶν δυσσυνέτων παρὰ τοῖς ἔξω διαμνημονευομένων, *viris istis hac calamitate oppressis defecit etiam unà cum eis scientia, quam*

huc

huc usque in pectoribus arcanam, reconditamque custodierant, præter quædam intellectu difficilia, quæ exterioris admissionis Auditores memoriâ repetebant.

Carmen illud quod *Pythagoræ* nomen gerit non ipsius esse, sed discipulorum, qui ejus monita numeris posteà adstrinxêre, patet ex isto versiculo

Ναὶ μὰ τ̀ ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,

quo inter jurandum eos uti solitos testatur *Hierocles*, item *Luciano*, *Josepho* & *Hieronymo* apud *Marcilium* notis in *Hieroclem* p. 339. Quibus addendus est *Porphyrius* expressè id asserens, οὔτε γὰρ τι Πυθαγόρου σύγγραμμα ἦν *neque enim ullum Pythagoræ scriptum extabat. Laertius* verò in vitâ *Platonis* tres libros *Pythagoram* composuisse ait, illosque qui contrarium assertum ibant, διαπαίζειν seu nugari censet. Librum etiam (o) *Pythagoræ* citat *Plinius*. At proculdubio hi omnes erant ὑποβολιμαῖοι. Neque novum est fœtus spurios ac alienos supponere sub nominibus veterum *Philosophorum*. Quod potius credo, quia idem mos olim apud *Judæos*

(o) Nat. Hist. lib. 14. c. 17.

Judæos quibuscum versatus erat *Pythagoras*, inolevit. Illi Cabbalam suam quam תורה שבעל פה ideo appellitant, non scripto sed viva voce tradidere, aliis scil. ex aliis ore tenus accipientibus, (ne evulgata nimis sordesceret, acsi intellectu facilis esset, debitam gloriam, uti hisce in rebus non infrequenter assolet, prorsus amitteret,) usque ad tempora *R. Jehudæ*, qui omnes dispersas traditiones ab ævo *Mosaico*, si fas sit credere, deductas, in unum corpus collegit. Sic *Mohammedani*, ne ipsis pejus consuleretur quam *Judæis*, habent السنة *traditionem Prophetæ* ad quam recurrunt, quando nuda *Alcorani* authoritas decidendis controversiis est impar & idonea. Hanc verò *Traditionem* esse unum è fundamentis disquisitionis, quæ quatuor sunt, dicit *Gregorius* P. 170.
Abul-Pharagius الكتاب والسنة والاجماع والقياس *liber* sc. *Alcoranus*, *Traditio*, *Consensus*, & *Ratio*.

Jam quali *Chronologiæ* in supputandis

 temporibus

temporibus usi sunt *Druides*, optimè nos docebit (p) *Plinius*, *Principia Druidibus mensium annorumque fuit Sexta Luna, & seculi post tricesimum annum.* Menses sanè calculi rudis Antiquitas non inchoabat à coitu Lunæ, sed ἀπὸ τῆς φάσεως *h. e.* à tempore quo nova Luna se mortalibus conspiciendam dedit; quod etiam hodie apud *Mohammedanos* in usu est, uti olim apud *Judæos* dum steterit Templum, in neomeniis statuendis. Quod non semel dictum est à *Maimonide* in *halacha Kiddusch Haccodesch* seu *de sanctificatione mensis.* Quare verò initium mensium à Sextâ Lunâ sumpserunt, quia ariolari in re incertâ omninò piget, an aliquid mysterii in hoc numero, qui *Pythagorais* sacer est, inesset, seu rationis *Astronomicæ*, inter res nondum repertas nobis salcem, non difficultèr recensebimus.

(p) Nat. hist. lib. 16. c. 44.

Quod verò ad spatium seculi spectat, illud ab iis rectè statuitur. Nam γενεὰ iisdem comprehenditur limitibus ac terminis juxta calculum *Herodoti* in *Euterpe*, (q) *Clementis Alexandrini* εἰς τὸ ἀγ-τῶν ἔτη τριῶν ἐγκαταλέγοντας γενεάν, ac *Hesychii* τὴν δὲ γενεὰν ὁρίζονται ἐτῶν οἱ μὲν ὀκτὼ κέ, οἱ δὲ λ'. Nec alitèr exponit

(q) *Strom.* l. 2. p. 334.

nit *Eustathius* illud *Homeri*, ubi dixerat *Nestora* tria secula vixisse.

Diem verò *Druidas* à vesperâ præcedente incæpisse, & intervalla temporis non dierum numero sed noctium computasse dicit *Cæsar*, *Galli se omnes ab Dite Patre prognatos prædicant, idque à Druidibus proditum dicunt, ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt, & dies natales & mensium & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.* Sic de *Germanis Tacitus*, *nec dierum numerum ut nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt, nox ducere diem videtur.* Hunc morem *Cambro-Britanni* hodiè retinent, qui pro septimanâ dicunt *With nos i. e.* octo noctes, pro duabus *Pymthec nos i. e.* quindecim noctes, utroque termino incluso. Nos etiam Angli dicimus sevennight pro septimanâ.

Naturalis verò iste ordo est, & antiquissimus, quo dies ab occasu Solis incipit, & semper apud *Judæos* in usu erat jussu divino. Undè τὸ νυχθήμερον dicitur *Danieli* ערב בקר *i. e.* ὀψιπρώϊον. (r) Quos sequuntur *Arabes* & *Mohammedani*, qui diem à principio noctis ad principium

(r) V. *Agellii* noct. Attic. lib. 3. c. 2.

cipium noctis sequentis deducunt. Ulug Beg pag. 3. Ita *Æthiopes* diem ordiuntur ab ineunte nocte quod tempus vocant ሠርቀ፡ ሌሊት፡ ortum noctis, ut distinguatur à tempore matutino, quod appellant ሠርቀ፡ ዕለት፡ ortum diei, uti videre est in computo *Æthiopico* quem edidit vir summus *Josephus Scaliger* lib. 7. de emend. Temp. p. 677. *Orpheus*

Κέκλυθι τοξέων ἀπ᾽ ἀρχῆς ὅσων παντήνατο δαίμων
Ἐν τε μέσης νυκτὸς καὶ ἐξ ἐνδεκ ἤματος αὐτῆς.

Romanis rerum in hisce insulis potitis; *Druida* cum ipsorum religione citò evanuêre. *Suetonius* in *Claudio* cap. 25. *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis & tantum civibus sub Augusto interdictam penitus abolevit.* Quod tamen *Tiberio* ascribit *Plinius* (f) *namque Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druidas eorum*, ἐναντιοφάνειαν reconciliat *Beroaldus* dicendo, *Claudium Cæsarem* appellatum esse *Tiberium Claudium Drusum*. Sed nihil impedit, quo minus utrique attribuatur. Neque sis ideo *Drui-*

(f) Nat. Hist. lib. 30. c. 1.

dam genus penitus abolitum erat, quin fœminas vaticinatrices ac fatidicas ab ipsis oriundas sub *Alexandro Severo* & *Aureliano* floruisse supra ostendimus & quosdam in *Gallis* è stirpe *Druidarum* satos testatur *Ausonius*.

A. 1572.

FINIS.

Emendanda & Inserenda.

Exorandus es, Amice & candide Lector, ut antequam te ad legendum accingas, hæc Operarum sphalmata, quæ ex malè intellecto Authoris Autographo, quum distantia loci philyras è prælo calentes corrigere & revidere non pateretur, irrepserunt, calamo emendare digneris.

PAg. 2 lin. 12. *quales* p. 12. marg. l. 7. [illegible] l. 12. *αὐτῷ* p. 14. marg. l. 7. *lib. 2.* p. 18. marg. *Par. 1554.* p. 20. l. 2. *ἀνάφορον* p. 21. l. 9. *Adrichomii* ibid. l. 16. *judicabit* p. 24. l. 15. *ὁ* l. 17. *in excelsis, &* p. 27. l. 19. *propius* ibid. l. 24. *Chaldæam* p. 28. marg. *cap. 3.* ibid. l. 24. *Celsum dicit* p. 29. l. 14. *Lucilium* p. 30. l. 2. *indiscriminatim* ibid. l. 11. *Al Firauzabadii* p. 31. l. 24. *est* ibid. l. 26. *inflexionis* p. 32. l. 10. *ἀρχαῖα* ibid. l. 14. *Ægyptios* p. 34. l. 8. *Chœrobosci* ibid. l. 17. [illegible] p. 35. l. 3. *ἃ* ib. l. 9. *cæteras* ib. l. 25. *διερμηνεύων* p. 37. l. 22. *τὸ* p. 39. l. 27. *Magogæos* l. 28. *fluxerit* p. 40. l. 24. *Cambysen* p. 44. l. 10. *Ismaelis* p. 49. l. 5. *Abrahamæi* ib. l. 10. *Bramæos appelles* p. 52. l. 6. *obiisse testatur* ib. l. 20 *tertio* p. 53. l. 5. *Persia* p. 54. l. 2. *si* p. 55. l. 4. *Plethonis* ib. l. 6. *cæterorumque* ibid. l. 9. *διὰ διαγραφῆς* p. 50. l. 9. *præceptores* ibid. l. 18. *sanè juris* p. 63. l. 17. *libro 15.* p. 65. l. 10. *πρότερον* ibid. l. 22. *ipsum* p. 67. l. 12. *lectione conjectura* ibid. l. 7. *calluisse* p. 71. l. 27. *nominis* p. 74. l. 4. *indigitatur* l. 20. *Sunto* p. 76. l. 15. *illos scil.* p. 77. l. 17. *proloquuntur* p. 78. l. 25. *Pescennius* ibid. l. 27. *saturam* p. 84. l. 6. *beatissime* p. 85. l. 5. *Massecheth* p. 91. l. 18. *res* p. 93. l. 18. *tantà* p. 95. l. 9. *Planctus* ib. l. 24. *b.* ib. l. 26. *offerret* p. 96. l. 12. *ipsam.* p. 97. l. 4. *συσχηματίζουσι* ib. l. 18. *Massecheth* p. 100. l. 2. *ad* ib. l. 6. עשוי p. 103. l. 1. עשוי p. 113 l. 24. *ἀνάθημα* p. 114. l. 26. *proscriptione* p. 115. l. 8. ליה p. 119. l. 18. *ubi* p. 120. l. 1. *incaustos* p. 121. l. 19. *originem finxit* p. 122 l. 7. *cessit* p. 123. l. 13. *maximam* p. 126. l. 1. *Variorum* ibid. l. 16. *Ruffino* l. 18. *usque* p. 128. l. 21. *Patriarcha Constantinopolitanus* p. 134. l. 18. *ruunt hostes* p. 135. l. 16. *patior, qui* ibid. l. 28. סומך p. 137. l. 21. *numen* p. 144. l. [illegible] p. 150. l. 21. *incertus* p. 160. l. 18. *vitâ Pythagoræ* ibid. l. 20. [illegible]

Præter paucula alia errata levioris momenti, malè adhibitas accentuationes, & distinctiunculas, quæ Tibi inter legendum nulli futura sunt impedimento.